

PROPRIUM MISSARUM

ORDINIS

CARMELITARUM DISCALCEATORUM



MECHLINIE
H. DESSAIN

SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUM ET DE PROPAGANDA FIDE NECNON
ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS

1925.

J. † M.

Fr. LUCAS A MARIA SANCTISSIMA
PRÆPOSITUS GENERALIS FRATRUM EXCALCEATORUM
ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARÆ DE MONTE CARMELO
EJUSDEMQUE SACRI MONTIS PRIOR

Ven. Definitorium Nostrum Generale examinavit præsens exemplar Proprii Missarum Ordinis Nostri, et cum illud invenerit apprime redactum juxta Decreta Sacræ Rituum Congregationis, approbavit ac, servatis de jure servandis typis mandari decrevit.

Datum Romæ, ex Ædibus nostris Generalitiis, die 28 Augusti 1920.

Fr. LUCAS A MARIA SANCTISSIMA, Præpositus Generalis.

L. † S.

Fr. Antonius M^a a Præsentatione
II Definitor Generalis et Definitorii Secretarius.

Concordat cum originali approbato. In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacræ Rituum Congregationis, die 15 Februarii 1921.

L. † S.

PHILIPPUS CAN. DI FAVA, SUBSTITUTUS.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, die 6 Decembris 1924

E. VAN ROEY, VIC. GEN.

KALENDARIUM

Omnia ut in Kalendario universalis Ecclesiae, exceptis diebus infra descriptis.

JANUARIUS

- 2 S. Euphrosynæ Virg. O. N. (d. a. ex I hujus), Duplex. Com. diei Octavæ S. Stephani Protomart.
- 5 Vigilia Epiphaniæ, Semiduplex.
- 22 Ss. Anastasii O. N. et Vincentii Mm., Duplex.
- 23 Desponsatio B. M. V., Duplex majus. Com. S. Joseph Sponsi ejusdem B. M. V., Conf., S. Raymundi de Peñafort Conf. (Semiduplex) ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.
- 28 S. Petri Thomæ Ep. et Mart. O. N. (d. a. ex 6 hujus), Duplex majus. Com. S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.

FEBRUARIUS

- 3 Telesphori Papæ et Mart. O. N. (d. a. ex 5 Januarii), Duplex. Com. S. Blasii Ep. et Mart.
- 4 S. Andreae Corsini Ep. et Conf. O. N., Duplex majus.
- 9 S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct. O. N., Duplex. Com. S. Apolloniae Virg. et Mart.
- 13 Beatæ Archangelæ Virg. O. N. (d. a. ex 25 Januarii), Duplex.
- 25 vel 26 in Anno bissext. S. Avertani Conf. O. N., Duplex.

MARTIUS

- 3 Beati Jacobini Conf. O. N., Duplex.
- 4 Beati Romæ Conf. O. N., Duplex. Com. S. Casimiri Conf. (Semiduplex) ac S. Lucii I Papæ et Mart.
- 6 S. Cyrilli Constant. Conf. et Doct. O. N., Duplex majus. Com. Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm., Duplex.
- 7 S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct. Præceptoris O. N., Duplex majus.
- 13 S. Euphrasiae Virg. O. N., Duplex.
- 20 Beati Baptistæ Mantuani Conf. O. N., Duplex.
- 29 S. Bertholdi Conf. O. N., Duplex majus.
- 31 Beatæ Joannæ Tolosanae Virg. O. N., Duplex.

APRILIS

- 18 Beatæ Mariæ ab Incarnatione Viduæ O. N., Duplex.

MAJUS

- 5 S. Angeli Mart. O. N., Duplex majus. Com. S. Pii V Papæ et Conf. (Duplex).

- 11 Beati Aloisii Rabata Conf. O. N., Duplex.
- 16 S. Simonis Stock Conf. O. N., Duplex II classis. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf. (Semiduplex).
- 21 Translatio S. Joannis a Cruce Conf., Patris Nostri, Duplex majus.
- 25 S. Mariæ Magdalena de Pazzis Virg. O. N., Duplex majus. Com. S. Gregorii VII Papæ et Conf. (Duplex) ac S. Urbani I Papæ et Mart.

JUNIUS

- 7 Beatæ Annae a S. Bartholomæo Virg. O. N., Duplex majus.
- 14 S. Elisei Prophetæ Patris Nostri, Duplex II classis. Com. S. Basilii Magni Ep., Conf. et Ecclesiae Doct. (Duplex).

JULIUS

- 9 Beatæ Joannæ Scopelli Virg. O. N., Duplex.
- 13 Translatio S. Teresiae Virg. Matris Nostræ, Duplex majus. Com. S. Anacleti Papæ et Mart. (Semiduplex).
- 15 S. Henrici Imperat., Conf., Semiduplex. Com. Vigiliæ.
- 16 Commemoratio solemnis B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo, Duplex I classis cum Octava privilegiata II Ordinis.
- 17 De Octava B. M. V., Semiduplex. Com. S. Alexii Conf. (Semiduplex).
- 18 De Octava B. M. V., Semiduplex. Com. S. Camilli de Lellis, Conf., (Duplex), ac Ss. Symphorosa et septem Filiorum ejus Mm.
- 19 De Octava B. M. V., Semiduplex. Com. S. Vincentii a Paulo Conf. (Duplex).
- 20 S. Eliæ Prophetæ Patris Nostri, Duplex I classis cum Octava communi. Com. Octavæ B. M. V. et S. Hieronymi Æmiliani Conf. (Duplex).
- 21 De Octava B. M. V., Semiduplex. Com. Octavæ S. Eliæ ac S. Praxedis Virg.
- 22 De Octava B. M. V., Semiduplex. Com. S. Mariæ Magdalena Pœnitentis (Duplex) ac Octavæ S. Eliæ.
- 23 Octava B. M. V. de Monte Carmelo, Duplex majus. Com. S. Apollinaris Ep. et Mart. (Duplex), Octavæ S. Eliæ ac S. Liborii Ep. et Conf.
- 24 Beatarum Teresiae a S. Augustino et Sociarum Vv. et Mm. O. N. (d. a. ex 17 hujus), Duplex majus. Com. Octavæ S. Eliæ, Vigiliæ et S. Christinae Virg. et Mart.
- 27 Octava S. Eliæ Prophetæ P. N. Duplex majus. Com. S. Pantaleonis Mart.

- 30 Beati Joannis Soreth Conf. O. N. (d. a. ex 25 hujus), Duplex. Com. Ss. Abdon et Sennen Mm.

AUGUSTUS

- 7 S. Alberti Conf. O. N., Duplex majus. Com. S. Cajetani Conf. (Duplex) ac S. Donati Ep. et Mart.
18 Beati Angeli Augustini Mazzinghi Conf. O. N. (d. a. ex 16 hujus), Duplex. Com. Octavæ Assumptionis ac S. Agapiti Mart.
27 Transverberatio Cordis S. Teresiæ Virg. Matris Nostræ, Duplex II classis. Com. S. Josephi Calasactii Conf. (Duplex).
31 In Ecclesiis consecratis. Dedicatio Omnium Ecclesiarum consecratarum O. N., Duplex I classis cum Octava communi. Com. S. Raymundi Nonnati Conf. (Duplex).

SEPTEMBER

- 1 In Ecclesiis consecratis. De Octava Dedicacionis Eccles., Semiduplex. Commemoratio S. Ægidii Abbatis ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.
2 S. Brocardi Conf. O. N., Duplex majus. Com. S. Stephani Regis, Conf. (Semiduplex) et, in Ecclesiis consecratis, Octava Dedicacionis Eccles.
3 In Ecclesiis consecratis. De Octava Dedicacionis Eccles., Semiduplex.
4 In Ecclesiis consecratis. De Octava Dedicacionis Eccles., Semiduplex.
5 S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., Semiduplex. In Ecclesiis consecratis. Com. Octavæ Dedicacionis Eccles.
6 In Ecclesiis consecratis. De Octava Dedicacionis Eccles., Semiduplex.
7 In Ecclesiis consecratis. Octava Dedicacionis Eccles. O. N., Duplex majus.
25 S. Alberti Ep. Hierosolymitani. Conf., Legislatoris O. N. (d. a. ex 14 hujus), Duplex II classis.
26 S. Gerardi Ep. et Mart. O. N. (d. a. ex 24 hujus), Duplex. Com. Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm.
30 B. Teresiæ a Jesu Infante Virg. O. N., dupl. maj. Com. S. Hieronymi Conf. et Eccl. Doct. (Duplex).

OCTOBER

- 15 S. Teresiæ Virg., Matris Nostræ, Duplex I classis cum Octava communi.
16 De Octava S. Teresiæ Virg., M. N., Semiduplex.
17 S. Hedwigis Viduæ, Semiduplex. Com. Octavæ S. Teresiæ Virg., M. N.
19 S. Petri de Alcantara Conf., Duplex majus. Com. Oct. S. Teresiæ Virg., M. N.
20 S. Joannis Cantii Conf., Duplex. Com. Oct. S. Teresiæ Virg., M. N.

- 21 S. Hilarionis Abb. O. N., Duplex. Com. Oct. S. Teresiæ Virg., M. N. ac Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.
22 Octava S. Teresiæ Virg., M. N., Duplex majus.
26 Translatio S. Andrea Corsini Ep. et Conf. O. N., Duplex. Com. S. Evaristi Papæ et Mart.
30 S. Serapionis Ep. et Conf. O. N., Duplex.

NOVEMBER

- 4 Beatæ Francisæ Ambosiæ O. N., Duplex. Com. S. Caroli Ep. et Conf. (Duplex), Octavæ Omnium Sanctorum ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
5 Sacrarum Reliquiarum quæ in Ecclesiis O. N. asservantur, Duplex majus. Com. Oct. Omnium Sanctorum.
6 Beati Nonii O. N., Duplex. Com. Oct. Omnium Sanctorum.
14 Omnium Sanctorum O. N., Duplex majus. Com. S. Josaphat Ep. et Mart. (Duplex).
15 S. Gertrudis Virg., Duplex. Com. Omnium Defunctorum, O. N., sub ritu duplici.
16 Beati Ludovici Morbioli Conf. O. N. (d. a. ex 9 hujus), Duplex.
24 S. Joannis a Cruce Conf., Patris Nostri, Duplex I classis cum Octava communi.
25 S. Catharinæ Virg. et Mart., Duplex. Com. Oct. S. Joannis Conf. P. N.
26 S. Silvestri Abb., Duplex. Com. Oct. S. Joannis Conf. P. N. ac S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
27 De Octava S. Joannis Conf. P. N., Semiduplex.
28 De Octava S. Joannis Conf. P. N., Semiduplex.
29 Beatorum Dionysii et Redempti Mm. O. N., Duplex majus. Com. Oct. S. Joannis Conf. P. N. Vigiliæ S. Andrea Ap. ac S. Saturnini Mart.

DECEMBER

- 1 Octava S. Joannis a Cruce Conf. P. N., Duplex majus.
5 Beati Bartholomæi Fanti Conf. O. N., Duplex. Com. S. Sabbæ Abb.
9 Translatio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., O. N. (d. a. ex 6 hujus), Duplex. Com. Octavæ Conceptionis immaculatæ.
11 Beati Franci Conf. O. N., Duplex. Com. S. Damasi I Papæ et Conf. (Semiduplex) ac Octavæ Conceptionis immaculatæ.
14 S. Spiridonis Ep. et Conf. O. N., Duplex. Com. Octavæ Conceptionis immaculatæ.
16 Beatæ Mariæ ab Angelis Virg. O. N., Duplex. Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (Semiduplex).
30 S. Dionysii Papæ et Conf. O. N. (d. a. ex 26 hujus), Duplex. Com. Octavæ Nativitatis.

PROPRIUM MISSARUM

ORDINIS

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

FESTA NOVEMBRIS

DIE 28 NOVEMBRIS

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, in Missa de V die infra Octavam S. Joannis a Cruce Conf., P. N., fit Commemoratio Vigilæ anticipatæ S. Andreæ Ap., ut in Missali, et dicitur, juxta Rubricas, 3^a Oratio de Sancta Maria Concède. In fine Missæ legitur Evangelium Vigilæ, item ut in Missali, de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, sine Glória, cum 2^a Oratione Octavæ, 3^a de sancta Maria, ut supra, sine Credo.

DIE 29 NOVEMBRIS

**Beatorum Dionysii et Redempti
Martyrum O. N.**

Missa Intret, de Comuni plurimorum Martyrum 1 loco, cum Orationibus ut infra :

Oratio

Deus, qui mirabili dispositione beatos Dionysium et Redemptum, per maris pericula ad palmam martyrii perduxisti : eorum intercessiõne concède ; ut, inter mundanas varietates et sæcularia desidéria, fidèles us-

que ad mortem in confessiõne tui nóm̄inis maneamus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis a Cruce Conf., P. N.

Oratio

Deus, qui sanctum Joannem Confessorem tuum (ac Patrem nostrum) perfectæ sui abnegatiõnis et crucis amatorem eximium effecisti : concède ; ut, ejus imitatiõni júgiter inhærentes, glóriam assequamur æternam.

Deinde Commemoratio Feriæ in Adventu. Postea Vigilæ S. Andreæ Ap.

Oratio

Quæsumus, omnipotens Deus : ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenimus festivitatem, tuum pro nobis impleret auxilium ; ut, a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiã periculis eruamur.

Tandem S. Saturnini Mart.

Oratio

Deus, qui nos beati Saturnini Mátyris tui concedis natalitio pèrfrui : ejus nos tribue méritis adjuvári. Per Dóminum.

Credo, ratione Octavæ.

Secreta

Propitius esto, Dómine, supplicatióibus nostris : et, intercessióne beatórum Mártyrum Dionysii et Redémp̄ti, ómnium nostrum ad te corda convérte ; ut, a mundánis cupiditatibus expediti, te solum pura mente sectémur. Per Dóminum.

Pro S. Joanne a Cruce P. N.

Secreta

Offerimus tibi, Dómine, hóstiám laudis in honórem sancti Joánnis, Confessóris tui (et Patris nostri), qui assíduam crucis mortificatiónem in semetipso portans, tibi fuit hóstia grata atque jucúnda.

Deinde Commemoratio Feriæ in Adventu.

Postea pro Vigilia

Secreta

Sacrándum tibi, Dómine, munus offerimus : quo beáti Andréæ Apóstoli solémnia recolénts, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus.

Tandem pro S. Saturnino

Secreta

Múnera, Dómine, tibi dicáta sanctifica : et, intercedénte beáto Saturnino Mártyre tuo, per hæc eádem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæléstibus refécti Sacraméntis et gáudiis súpplices te, Dómine, deprecámur : ut, qui de beatórum Dionysii et Redémp̄ti triúmpho lætámur ; eórum patrociniis ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Pro S. Joanne a Cruce P. N.

Postcommunio

Præbeant nobis, Dómine, divinum tua Sancta fervórem, intercedénte sancto Joánn^{atque Doctore}e, Confessóre tuo (et Patre nostro) : et præsta ; ut, sicut illum, dum hæc sacra mystéria perágeret, caritátis igne cælitus immisso, étiam extérius irradiáre fecisti ; ita nos ejúsdem caritátis ignibus succénsi, ad cæléstia júgiter adspirémus.

Deinde Commemoratio Feriæ in Adventu.

Postea pro Vigilia

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis suppliciter exorámus : ut, intercedénte beáto Andréa Apóstolo tuo, quæ pro illius veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam.

Tandem pro S. Saturnino

Postcommunio

Sanctificet nos, quæsumus, Dómine, tui percéptio sacraménti ; et intercessióne Sanctórum tuórum tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

In fine Missæ legitur Evangelium Vigiliæ, ut in Missali ; de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, sine Glória, cum 2^a Oratione Festi, 3^a Octavæ, 4^a Feriæ, 5^a S. Saturnini, sine Credo.

Die 30 Novembris. In Missa de S. Andrea Ap. non fit Commemoratio Octavæ.

FESTA DECEMBRIS

DIE 1 DECEMBRIS

In Octava S. Joannis a Cruce
Conf. P. N.

Missa ut in Festo, die 24
Nov. addita Com. Feriæ.

DIE 5 DECEMBRIS

Beati Bartholomæi Fanti
Conf. O. N.

Missa Os justi, de Communi
Confessoris non Pontificis 1 loco,
præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beatum Bartholomæum in sanctissimæ Eucharistiæ tuæ cultu, et in regulâ disciplinæ observantia mirabilem effecisti : concede propitius ; ut, ejus intercessione et exemplo terræna despicientes, tibi soli adhærere et te perfecte diligere valeamus : Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ,
ac deinde Commemoratio S.
Sabbæ, ut in Missali.

DIE 9 DECEMBRIS

In Translatione
S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis
Virg. O. N.

Missa ut in Festo, die 25 Maji,
omissis Commemorationibus ibi
notatis et præter Orationem
sequentem :

Oratio

Deus, qui in beata Maria Magdalena insatiabile patiens desiderium excitasti, ejusque corpus, continua mortificatione et poenitentia purgatum, incorruptionis dote decorasti :

te supplices exoramus ; ut spiritum nostrum ab omni carnis et sæculi corruptione immūnem custodire, et demum ad immarcescibilem vitam perducere digneris. Per Dōminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Conceptionis immaculatæ, ut in Missali ; deinde Commemoratio Feriæ ; ac dicitur Credo cum Præfatione de B. Maria Virg. Et te in Conceptione immaculatâ, ratione Octavæ.

DIE 11 DECEMBRIS

Beati Franci Conf. O. N.

Missa Os justi, de Communi
Confessoris non Pontificis 1 loco,
præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, et miserando manifestas : concede propitius ; ut, sicuti beatum Francum Carmelitam meritis gloriosum ad regna siderea vocasti, ita nos facias ejus meritis et precibus a peccatorum nostrorum sordibus liberari. Per Dōminum.

Et fit Commemoratio S. Damasi I Papæ et Conf. ; deinde Octavæ Conceptionis immaculatæ, ut in Missali ; postea Commemoratio Feriæ ; ac dicitur Credo cum Præfatione de B. Maria Virg. Et te in Conceptione immaculatâ, ratione Octavæ.

¶ De S. Damaso I Papa et Conf., dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 14 DECEMBRIS

S. Spiridionis Ep. et
Conf. O. N.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et princípem fecit eum : ut sit illi sacerdotií dignitas in aetérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. V. Glória Patri.

Oratio

Sancti Spiridiónis Confessóris tui atque Pontificis, nos, Dómine, festa tueántur : et sicut ille religiónis a Prophéta Elia institútæ orationibus et opéribus fuit fidélis imitátor ; ita nos ejus sequéntes vestigia, cum eo te pérfrui valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ
Conceptionis immaculatæ.

Oratio

Deus, qui per immaculatam Virginitatis Conceptionem dignum Filio tuo habitáculum præparásti : quæsumus ; ut, qui ex morte ejúsdem Filii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo, et invéntus est justus : et in tẽpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excelsi. Ideo jurejurándo fecit il-

lum Dóminus crẽscere in plebem suam. Benedicciónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedicció nibus suis : conservávit illi misericórdiam suam : et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum : et dedit illi coronam glóriæ. Státuit illi testaméntum aetérnum, et dedit illi sacerdotium magnum : et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdotio, et habere laudem in nómine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. V. ibid., 20 Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excelsi.

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchisedech. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Beátus vir ex Missa Státuit de Communi I loco.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo tẽpore : Respóndens Jesus, dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea parvulis. Ita Pater : quóniam

sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui volúerit Filius reveláre. Venite ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Octava

Conceptionis immaculatæ

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemnitate immaculatæ Conceptionis beatæ Virginis Mariæ tibi, Dómine, offérimus, suscipe et præsta : ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur ; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Præfatio de beata Maria Virg.

Et te in Conceptione immaculata, ratione Octavæ.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem consti-

tuit dóminus super familiam suam : ut det illis in tēpore tritici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Spiridióne, Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro Octava

Conceptionis immaculatæ.

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster : illius in nobis culpæ vúlnera réparent ; a qua immaculatam beatæ Mariæ Conceptionem singulariter præservásti.

Deinde Commemoratio Feriæ.

¶ Si hodie occurrat Feria Quatuor Temporum, in fine Missæ legitur Evangelium Feriæ, ut in Missali ; de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, cum 2^a Oratione Festi, 3^a Octavæ.

DIE 16 DECEMBRIS

Beatæ Mariæ ab Angelis

Virg. O. N.

Missæ Dilexisti, de Comuni Virginum 3 loco, cum Orationibus ut infra.

Oratio

Deus, qui beatæ Mariæ Virgini tuæ angélicis dedísti móribus vivere : præsta nobis fámulis tuis ; ut, ejus imitatióne, carnis superátis illécebris, Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Festa Decembris, 30 et Januarii, 2

Et fit Commemoratio S. Eusebii Ep. et Mart.

Oratio

Deus, qui nos beāti Eusébbii Mártýris tui atque Pontíficis ánnua solemnitate lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Secreta

Múnera, quæ tibi offérimus, Dómine, sanctus Angelus tuus in sublime altáre tuum pérferat : cujus ministério férvidæ beatæ Mariæ preces in conspéctu divinæ majestátis tuæ quotidie offerebántur. Per Dóminum.

Pro S. Eusebio

Secreta

Múnera tibi Dómine, dicáta sanctífica ; et intercedénte, beáto Eusébbio Mártýre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Postcommunio

Angelórum pane refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut, intercedénte beáta María Virgine tua, illi nos in terris custódiant, qui tibi in cælo ministrántes semper assistunt. Per Dóminum.

Pro S. Eusebio

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crimine et intercedénte beáto Eusébbio Mártýre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes.

Deinde Commemoratio Feriæ.

¶ Si hodie occurrat FERIA Quatuor Temporum, in fine Missæ legitur Evangelium Feriæ, ut in Missali ; de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, cum 2^a Oratione Festi, 3^a S. Eusebii.

¶ De S. Eusebio Ep. et Mart. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 30 DECEMBRIS

S. Dionysii Papæ et Conf. O. N.

Missæ **Statuit**, de Comuni Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Misericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, vitia nostra curéntur : ut, beāti Dionysii, Confessoris tui atque Pontificis, pia intercessióne, ad cæléstia desidéria transeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis, ut in Missali, ac dicitur Credo cum Præfatione et Communicantes de eadem Octava.

FESTA JANUARI

DIE 2 JANUARI

S. Euphrosynæ Virg. O. N.

Introitus Ps. 44, 8

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui sanctam Euphrósynam Virginem ad sanctitátis stúdiúm mirabiliter excitásti, et in eódem júgiter direxísti : fac nos, ejus méritis et intercessióne, perfécta caritaté fervéntes. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Stephani Protomartyris.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui primitias Mártýrum in beáti Levítæ Stéphaní sángine dedicásti : tribue, quæsumus ; ut pro nobis intercessor exsístat, qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

2 Cor. 10, 17-18 ; 11, 1-2

Herates : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est ; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me : æmulor enim vos Dei æmulatione. Despóndi enim vos uni viro virginem castam exhibére Christo.

Graduale Ps. 44, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténdé, prospere procéde, et regna. *V.* Propter veritátem, et mansuetúdinem et justitiam : et dedúcet te mirabiliter délixtera tua.

Allelúja, allelúja. *V.* Ibid., 15-16 Adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Se-

ptuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Audi, filia ex Missa Dilexisti de Comuni 3 loco.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Matthæum.

Matth. 19, 3-12

In illo témpore : Accessérunt ad Jesum pharisæi tentántes eum, et dicéntes : Si licet hómini dimítere uxórem suam quacúmque ex causa ? Qui respóndens, ait eis : Non legístis, quia, qui fecit hóminem ab initio, másculum et féminam fecit eos ? et dixit : Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi : Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdií, et dimítere ? Ait illis : Quóniam Móyses ad duritiam cordis vestri permísit vobis dimítere uxóres vestras : ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimiserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, moechátur. Dicunt ei discípuli ejus : Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt : et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus : et sunt eunúchi, qui

seïpsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest cápere, cápiat.

Offertorium Ps. 44, 10 Filia regum in honore tuo, ástitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honore Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepisse cognóscit auxiliú. Per Dóminum.

Pro die Octava S. Stephani

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera pro tuórum commemoratióne sanctórum : ut, sicut illos passio gloriósa effécit ; ita nos devotio reddat innocuos. Per Dóminum.

Præfatio tantum de Nativitate, ratione Temporis.

Communio Matth. 25, 4 et 6 Quinque prudentes virgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit : exíte óbviám Christo Dómino.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris ; ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro die Octava S. Stephani

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria : et, in-

tercedente beáto Stéphanó Mártire tuo, sempitérna protectiόne confirment. Per Dóminum.

Die 5 Januarii. In Missa de Vigilia Epiphaniæ omittitur Commemoratio S. Telesphori Papæ et Mart., et dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2^a Oratio de sancta Maria Deus, qui salutis æternæ, 3^a contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 6 Januarii. In Epiphania Domini, in Missis privatis addi potest sub unica conclusione Oratio pro renovatione Votorum.

DIE 22 JANUARI

Ss. Anastasii O. N. et Vincentii Martyrum

Missa Intret, de Comuni plurimorum Martyrum 1 loco, cum Orationibus ut infra :

Oratio

Deus, qui beátum Anastásium ad martyrii palmam de Carméli solitúdine evocásti, et levítam Vincéntium heróica in torméntis fortitúdine gloriósum effecísti : quæsumus ; ut ad salutárium tolerántiam passiónum, eorúdem accendámur exémpis. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiόnis offerimus : quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miserante, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cælestia aliménta percépimus, intercedéntibus beáttis Martyribus tuis Anastásio et Vincéntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE 23 JANUARI

In Desponsatione

B. Mariæ Virg. cum S. Joseph

Introitus Sedulius

Salve, sancta parens, enixa puérpera regem : qui cælum terrámque regit in sæcula sæculórum. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. V. Glória Patri.

Oratio

Hámulis tuis, quæsumus, Dómine, cælestis grátiae munus impertire : ut, quibus beátæ Virginis partus éxstitit salutis exórdium : Desponsationis ejus votiva solémnitas pacis tribuat incrementum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joseph ante omnes alias Commemorationes.

Oratio

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur : ut, quod possibilitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

Deinde Commemoratio S. Raymundi de Peñafort Conf.

Oratio

Deus, qui beátum Raymúndum poeniténtiæ sacramén-

ti insígnem místrum elegisti, et per maris undas mirabiliter traduxisti : concéde ; ut ejus intercessióne dignos poeniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salutis portum pervenire valeámus.

Postea S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Emerentiána virgo et martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientíæ.

Prov. 8, 22-35

Dóminus possédit me in iníto viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a principio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antiquis, ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum montes gravi mole constítérant : ante colles ego parturiébar : adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælus, áderam : quando certa lege et gyro vallábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circumdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta componens : et delectábar per singulos dies, ludens coram eo omni témpore : ludens in orbe terrárum : et deliciæ meæ esse cum filiis hóminum. Nunc ergo, filii, audíte me : Beáti, qui custó-

diunt vias meas. Audíte disciplinam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjicere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale *Benedicta et venerabilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. V. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo.*

Allelúja, allelúja. *V. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. Allelúja.*

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus *Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemisti. V. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidisti. V. Dum Virgo Deum et hóminem genuisti et post partum Virgo invioláta permansisti. V. Dei Génitrix, intercède pro nobis.*

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 1, 18-21

Qum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenirent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timére accipere

Maríam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem filium : et vocábis nomen ejus Jesum : Ipse enim salvum fáciat pópulum suum a peccátis eórum.

Credo.

Offertorium *Beáta es, Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem : genuisti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo.*

Secreta

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humanitas : ut, qui natus de Virgine, matris integritátem non minuit, sed sacrávit ; in Desponsatiónis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiònem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster : Qui tecum.

Pro S. Joseph

Secreta

Débitum tibi, Dómine, nostræ réddimus servitúti, suppliciter exorántes : ut, suffrágiis beáti Joseph, Sponsi Génitricis Filii tui Jesu Christi Dómini nostri, in nobis tua múnera tueáris, ob cujus venerándam commemoratiónem laudis tibi hóstias immolámus.

Deinde pro S. Raymundo

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum : quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris.

Postea pro S. Emerentiana
Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Emerentiánæ Virginitis et Mártiris tuæ dicátas méritis, benignus assúme : et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg.
Et te in Desponsatione.

Communio Beáta viscera Mariæ Virginitis, quæ portaverunt ætérni Patris Filium.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celeberrímis annuæ votiva sacraménta : præsta, quæsumus ; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Pro S. Joseph

Postcommunio

Adéstó nobis, quæsumus, misericors Deus : et, intercedente pro nobis beáto Joseph Confessore, tua circa nos propitiátus dona custódi.

Deinde pro S. Raymundo

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus.

Postea pro S. Emerentiana

Postcommunio

Divini múnemis largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedente beáta Emerentiána Virgine et Mártire tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

In De S. Raymundo de Peñafort Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 28 JANUARI

S. Petri Thomæ Ep. et

In M. « Statuit » de Comm. Conf. Pont. (et non amplius de Mart.) or. pr. (in qua dic ; « Sancti Petri Thomæ, Pontificis tui, quæsumus, etc. » Secr. et Postc. de Comm., 2 or. S. Petri Nol., 3 S. Agnetis)

Stetit ei Dóminus testamentum pacis, et principem fecit eum : ut sit illi sacerdoti dignitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetudinis ejus. V. Glória Patri.

Oratio

Sancti Petri Thomæ, Mártis Pontificis, quæsumus, Dómine, méritis et intercessiône placátus, véniam delictórum nobis tribue, et ab omni pestiléntiæ morbo nos liberos esse concéde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnetis Virginitis et Mártiris tuæ solemnitate lætificas : da, quæsumus ; ut, quam venerámur officio, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Jacóbi Apóstoli
Jac. 1, 12-18

Caríssimi : Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accipiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligentibus se. Nemo cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur : Deus enim intentátor

malórum est : ipse autem néminem tentat. Unusquisque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus et illéctus. Deinde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum : peccátum vero, cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolite itaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuít nos verbo veritátis, ut simus initium áliquod creatúræ ejus.

Graduale Ps. 88, 21-23 Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. *V.* Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur :

Tractus Ps. 20, 3-4 Desiderium animæ ejus tribuisti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. *V.* Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. *V.* Posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore ; Dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult

post me veníre, ábneget semet-ípsam, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : qui autem perdiderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómíni, si mundum univérsam lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur ? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánimá sua ? Filius enim hómínis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 25 Veritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Petri Thomæ, Mártiris tui atque Pontificis, dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum.

Pro S. Agnete

Secreta

Super has, quæsumus, Dómine, hóstias benedictio copiósa descéndat : quæ et sanctificatiónem nobis cleménter operétur, et de Mátyrum nos solemnitate lætíficet. Per Dóminum.

Communio Ps. 88, 36, 37 et 38 Semel jurávi in sancto meo : semen ejus in ætérnum manébit : et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfecta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Refecti participatióne múnis sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cuius exséquimur cultum, intercedente beáto Petro Thoma, Mártire tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Pro S. Agnete

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebratís annuæ votiva sacramenta : præsta, quæsumus ; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et æternæ. Per Dóminum.

¶ Pro Votiva Tempore Paschali dicitur Missa Protexisti, de Communi I loco, cum Orationibus et Evangelio ut supra.

FESTA FEBRUARII

DIE 3 FEBRUARII

S. Telesphori Papæ et Mart. O. N.

Missæ, Si diligis me, de Communi unius Summi Pontificis.

præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui sanctum Telésphorum e deserto ad suprémum Ecclésiæ tuæ régimen, et martyrii triumphum evocásti : largire nobis, quæsumus ; ut ómnia advérsa, pro tui nóminis glória, húmili corde sustinéntes, cæléstis glóriæ palmam obtinére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Blasii Ep. et Mart., ut in Missa Sacerdotes Dei, de Communi unius Martyris 2 loco.

DIE 4 FEBRUARII

S. Andreæ Corsini Ep. et Conf. O. N.

Missæ Státuit, de Communi Confessoris Pontificis I loco, cum Orationibus ut infra.

Oratio

Deus, qui in Ecclésiá tua nova semper instáuras exempla virtútum : da pópulo tuo beáti Andréæ, Confessoris tui atque Pontificis, ita sequi vestigia ; ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

Secreta

Obláta tibi múnera, quæsumus, Dómine, intercedente beáto Andréa, Confessore tuo atque Pontífice, propítius respice, et nos cæléstis grátiae rore perfúnde. Per Dóminum.

Postcommunio

Intercessióne beáti Andréæ, Confessoris tui atque Pontificis, sacris nos mystériis emundátos, ab omni, quæsumus, labe peccáti præserva, et grátiae tuæ propítius nobis dona concède. Per Dóminum.

¶ Singulis diebus per Quadragesimam, a Feria V post Cineres et a Feria II usque ad Sabbatum infra Hebdomadam Passionis inclusive, Missæ privatæ dici possunt vel de Festo, cum Commemoratione et ultimo Evangelio Feriæ, vel de Feria cum Commemoratione Festi, juxta Rubricas. Si tamen Festum fuerit Duplex I aut II classis, Missæ privatæ de Feria prohibentur.

DIE 9 FEBRUARII

S. Cyrilli Ep. Alexandrini
Conf. et Eccl. Doct. O. N.
Missa ut in Missali.

DIE 13 FEBRUARII

B. Archangelæ Virg. O. N.

Missa Dilexisti, de Communi Virginum 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beatam Archangelam Virginem in benedictionibus dulcedinis præventam, heroicis ditasti virtutibus : ipsa interveniente concede ; ut, dono gratiæ tuæ muniti in terris, Beatorum choris sociari mereamur in cælis. Per Dominum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ ; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

DIE 25 VEL 26 FEBRUARII

S. Avertani Conf. O. N.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Da nobis, quæsumus, Domine, beati Avertani, Confessoris tui, vitam religiosam sub vexillo genitricis tuæ Mariæ de Monte Carmelo perfectæ sectari, ejusque intercedentibus meritis, in omni perfectione firmari : Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

FESTA MARTII

DIE 3 MARTII

B. Jacobini Conf. O. N.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Largire nobis, quæsumus, Domine, beato Jacobino, Confessore tuo, intercedente, orationis ac poenitentiae spiritum : ut, præclara ejus exempla sectantes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

DIE 4 MARTII

B. Romæi Conf. O. N.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beatum ^{Avertanum} Romæum, cum famulo tuo ^{Avertano} Romæo peregrinantem, per semitas justitiæ deduxisti ; concede, ut intercessionis ^{eorum} auxilio muniti, ad cælestem patriam perducamur. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Casimiri Conf., ut in Missali ; deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ ; postea S. Lucii I Papæ et Mart., item ut in Missali ; et de Feria legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

¶ Pro S. Casimiro Secreta Præsta nobis, et Postcommunio

Quæsumus, ex Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco.

¶ De S. Casimiro Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas, et tunc Secreta et Postcommunio sumuntur ex Missa Justus pro Commemoratione B. Romæi Conf.

DIE 6 MARTII

S. Cyrilli Constantinopolitani Conf. et Doct. O. N.

Introitus Eccl. 15, 5

In médio Ecclésiæ aperuit os ejus : et implévit eum Dóminus spiritu sapiéntiæ et intelléctus : stolam glóriæ induit eum. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime. *V.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beáto Cyrillo ~~De~~ sacrum in monte Carméli faciénti, angélico adspéctu futúri sæculi statum revelasti : tribue nobis, ejus imitatione, terrena despícare, et ad ætérna júgiter adspiráre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Mártýrum tuárum Perpetuæ et Felicitátis palmas incesábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humilibus saltem frequentémus obséquiis (Per Dóminum.)

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 4, 1-13

Herates: Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdi-ne, cum paciéntia, supportántes invicem in caritáte, solliciti serváre unitátem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unicúique autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit : Ascéndens in altum captivam duxit captivitátem : dedit dona hominibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferiôres partes terræ ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cælos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios vero Evangelistas, álios autem pastôres, et doctôres, ad consummationem sanctórum in opus ministérii, in ædificatióne corporis Christi : donec occurrámus omnes in unitátem fidei, et agnitiónis Filii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justí meditabitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judicium. *V.* Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. *V.* Potens in terra erit semen ejus :

generatio rectorum benedicetur.
V. Glória et divitiæ in domo
 ejus : et justitia ejus manet in
 sæculum sæculi.

¶ In Missis votivis ante Se-
 ptuagesimam vel post Penteco-
 sten, omissio Tractus, dicitur Ver-
 sus ut in Missa In medio, de
 Communi.

Tempore autem Paschali omit-
 titur Graduale et ejus loco dicun-
 tur Allelúja cum suis Versibus,
 ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii se-
 cundum Matthæum.

Matth. 5, 13-19

In illo tempore : Dixit Jesus
 discipulis suis : Vos estis
 sal terræ. Quod si sal evanue-
 rit, in quo salietur ? Ad nihi-
 lum valet ultra, nisi ut mittatur
 foras, et conculcetur ab homini-
 bus. Vos estis lux mundi. Non
 potest civitas abscondi supra
 montem posita. Neque accen-
 dunt lucernam, et ponunt eam
 sub módio, sed super candelá-
 brum, ut luceat omnibus qui in
 domo sunt. Sic luceat lux ve-
 stra coram hominibus, ut ví-
 deant ópera vestra bona, et glo-
 rificent Patrem vestrum, qui in
 cælis est. Nolite putare, quóniam
 veni solvere legem, aut prophé-
 tas : non veni solvere, sed adim-
 plere. Amen quippe dico vobis,
 donec transeat cælum et terra,
 jota unum, aut unus apex non
 præteribit a lege, donec ómnia
 fiant. Qui ergo solverit unum
 de mandatis istis minimis, et
 docuerit sic homines, minimus
 vocabitur in regno cælorum :
 qui autem fecerit, et docuerit,
 hic magnus vocabitur in regno
 cælorum. — Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus
 ut palma florébit : sicut cedrus,
 quæ in Libano est, multiplicá-
 bitur.

Secreta

Oblátis, quæsumus, Dómine,
 placare munéribus : et in-
 tercedente beáto Cyrillo, Con-
 fessore tuo ~~atque Doctore~~, a
 cunctis nos defende periculis.
 Per Dóminum.

Pro Ss. Perpetua et Felicitate

Secreta

Inténde, quæsumus, Dómine,
 múnera altáribus tuis pro
 sanctárum Mártyrum tuárum
 Perpétuæ et Felicitátis festivi-
 tate propósita : ut, sicut per hæc
 beáta mystéria illis glóriam con-
 tulisti ; ita nobis indulgéntiam
 largiáris. (Per Dóminum.)

Et, in Quadragesima, fit Com-
 memoratio Feriæ.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis
 servus et prudens, quem con-
 stituit dóminus super familiam
 suam : ut det illis in tempore
 tritici mensúram.

Postcommunio

Percéptis, Dómine Deus no-
 ster, salutáribus sacramén-
 tis, humíliter deprecámur : ut,
 quæ beátus Cyrillus, Confessor
 tuus ~~et Doctor egregius~~, dócuit
 in terris, cónsequi mereámur in
 cælis. Per Dóminum.

Pro Ss. Perpetua et Felicitate

Postcommunio

Mysticis, Dómine, repléti su-
 mus votis et gáudiis :
 præsta, quæsumus ; ut interces-
 siónibus sanctárum Mártyrum

tuarum Perpétuæ et Felicitatis, quæ temporaliter ágimus, spiritaliter consequámur. (Per Dóminum.)

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

¶ De Ss. Perpetua et Felicitate Mm. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 13 MARTII

S. Euphrasiæ Virg. O. N.

Missæ Dilexisti, de Comuni Virginum 3 loco, præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui Ecclésiã tuã novã semper prole foecundas : propitiã supplicibus tuis, ut, sicut beãtam Euphrasiã Virginem virtutibus et miraculis decorasti : ita ejus intercessiõne a vitiorum tenebris eruãmur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ : et de ea legitur Evangelium in fine juxta Rubricas.

DIE 20 MARTII

**Beati Baptistæ Mantuani
Conf. O. N.**

Missæ Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beãtum Baptistã Confessõrem tuum in mundi contẽptu et zelo glóriæ tuæ mirabilem effecisti : ejus nobis intercessiõne concède ; ut, abdi-

cãtis terrenis vanitatibus, quæ tua sunt sincera mente sectemur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ ; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

DIE 29 MARTII

S. Bertholdi Conf. O. N.

Introitus Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit : sicut cedrus Libani multiplicabitur : plantatus in domo Dómini, in atriiis domus Dei nostri. Ps. ibid., 2 Bonum est confitèri Dómino : et psállere nómini tuo, Altissime. V. Glória Patri.

Oratio

Protégat nos, Dómine, sancti Bertholdi Confessoris tui venerãda solémnitas : qui, sicut Carmelitãrum Ordinem omni sanctitate rexit et auxit, ita perpétuam ejus protectionem sentiãmus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1 Cor. 4, 9-14

Hratres : Spectãculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus : persecutiõnem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus :

tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo : in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium. *V.* Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. *V.* Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. *V.* Gloria, et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, omisso Tractu, dicitur Versus ut in Missa Justus de Comuni 2 loco.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicuntur : Allelûja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 12, 35-40

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si

in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtute tua, Domine, lætabitur justus, et super salutare tuum exsultabit vehementer : desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Secreta

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus : ut nostræ humilitatis oblatio, et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum ; et nos corpore pariter et mente purificet. Per Dominum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Communio Matth. 19, 28 et 29 Amen dico vobis : quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis.

Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus : ut qui cælestia alimenta percipimus, intercedente beato Bertholdo Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

DIE 31 MARTII

Beatæ Joannæ Tolosanæ

Virg. O. N.

Missa Dilexisti, de Comuni Virginum 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui nobis in beata Joánna Virgine tua mirum pœnitentiæ et caritatis exéplum exhibuisti: concède, quæsumus; ut, ejus imitationi júgiter inhærentes, quæ diligentibus te præmia promisisti, feliciter consequamur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

FESTA APRILIS

DIE 18 APRILIS

Beatæ Mariæ ab Incarnatione

Viduæ O. N.

Missa Cognóvi, de Comuni non Virginum, 2 loco, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, bonórum ómnium largitor, qui beatam Mariam ardenti honoris tui zelo, et mirabili in adversitatibus fortitudine roborasti: concède ob ejus mérita famulis tuis; ut adversa ómnia fórtiter tolerare váleant, et in sanctæ tuæ religionis amore persistere. Per Dóminum.

Secreta

Sanctificétur, quæsumus, Dómine, beata María intercedente, hujus nostræ oblationis munus, ut tibi placere possit ad laudem, et nobis proficere ad salutem. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, cælestibus Sacraméntis te súpplices exoramus, ut, intercedente beata María, quæ pro illius gesta sunt glória, nobis ad medélam proficiant. Per Dóminum.

FERIA IV INFRA HEBDOMADAM II POST OCTAVAM PASCHÆ

IN SOLLEMNITATE S. JOSEPH

SPONSI B. Mariæ Virg.

CONF., ECCLESIE UNIVERSALIS PATRONI ET PROTECTORIS O. N.

Introitus

Ps. 70, 6 et 8

De ventre matris meæ tu es protector meus: repleatur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: tota die magnitudinem tuam, allelúja, allelúja. Ps. 79, 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph *V.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut quem protectorem venerámur in terris, intercessórem habere mereámur in cælis: Qui vivis.

Lectio libri Génesis.

Gen. 49, 22-26

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filia discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et iurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israël. Deus patris tui erit adiutor tuus, et Omnipotens benedictet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvae. Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.

Allelúja, allelúja. *V.* De quacúmque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero protector eorum semper. Allelúja. *V.* Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocinio. Allelúja.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten dicitur:

Graduale Ps, 20, 4-5 Domine, praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *V.* Vitam petisti a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi. Allelúja, allelúja. *V.* Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocinio. Allelúja.

Post Septuagesimam vero, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 11, 1-3 Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. *V.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. *V.* Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 3, 21-23

In illo tempore: Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est caelum: et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: et vox de caelo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.

Credo per totam Octavam.

Offertorium Ps. 147, 12 et 13 Lauda, Jerusalem, Dominum: quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te, allelúja, allelúja.

Secreta

Sanctissimae Genitricis tuae sponsi patrocinio suffulti, rogamus, Domine, clementiam tuam: ut corda nostra facias terrena cuncta despiciere, ac te verum Deum perfecta caritate diligere: Qui vivis.

Præfatio de S. Joseph Et te in Festivitate, quae dicitur per totam Octavam, juxta Rubricas.

Communio Matth. 1, 16 Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Divini muneris fonte refecti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, sicut nos facis beati Joseph protectione gaudere ; ita, ejus méritis et intercessione, cælestis glóriæ facias esse participes. Per Dóminum.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo, additis tamen, juxta Rubricas, Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, nempe 2^a Oratio de sancta Maria Concède, 3^a contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa. In die autem Octava, Missa ut in Festo.

¶ Pro Votiva de S. Joseph dicitur Missa ut supra, cum Præfatione Et te in Veneratione, ac servatis Rubricis, et si dicenda sit Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba beato Joseph.

FESTA MAJI

DIE 5 MAJI

S. Angeli Mart. O. N.

Introitus Ps. 63, 3

Drotexisti me, Deus, a conventu malignantium, allelúja : a multitudinè operantium iniquitatem, allelúja, allelúja. Ps. ibid., 2. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor : a timóre inimici éripe animam meam. V. Glória Patri.

Oratio

Plebs tua te, Dómine, beati Angeli, Sacerdotis et Martyris tui, glorificatione sanctificet : et eodem intercedente te mereamur habere rectorem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pii V Papæ et Conf.

Oratio

Deus, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ hostes, et ad divinum cultum reparandum, beatum Pium Pontificem maximum eligere dignatus es : fac nos ipsius defendi præsidii, et ita tuis inhærere obséquiiis ; ut, omnium hostium superatis insidiis, perpétua pace lætémur. (Per Dóminum.)

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, juxta Rubricas.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 4-10 ; 3, 10-12

Carissime : Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dóminus in omnibus intelléctum. Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans ; sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo pro-

pter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cælesti. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones : quæ mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 88, 6 Confitebuntur cæli mirabilia tua, Dómine : etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Allelúja. *V.* Ps. 20, 4 Posuisti, Dómine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

Joann. 15, 1-7

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mit-

tent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebuntur cæli mirabilia tua, Dómine : et veritatem tuam in ecclesia sanctorum, allelúja, allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beati Angeli Mátyris tui, dicatas méritis, benignus assume : et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Secreta (M. SP.)

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent : ut, dum eorum mérita recolimus, patrocinia sentiamus. (Per Dóminum.)

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, ut supra.

Communio Ps. 63, 11 Lætabitur justus in Dómino, et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exsequimur cultum, intercedente beato Angelo Mátyre tuo, sentiamus effectum. Per Dóminum.

Pro S. Pio

(e. M. SP.) Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut, de percèptis

muneribus grátias exhibentes, intercedente beáto Pio, Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. (Per Dóminum.)

¶ Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigilæ et Feriæ, ut supra. Feria autem II Rogationum et in eadem Vigilia Ascensionis in fine Missæ legitur Evangelium respective de Feria vel de Vigilia, ut in Missali. Missæ autem privatæ ad libitum dici etiam possunt, juxta Rubricas, Feria II de ea cum 2^a Oratione Festi et 3^a S. Pii; in Vigilia Ascensionis, vel de Vigilia, vel de Feria cum 2^a Oratione Festi, 3^a S. Pii, 4^a de ea de qua non dicitur Missa.

¶ De S. Pio V Papa et Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

¶ In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur Missa In virtúte tua, de Comuni 3 loco, cum Orationibus et Epistola ut supra.

DIE II MAJI

Beati Aloisii Rabata

Conf. O. N.

Missa Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beátum Aloisium mirábili caritáte, et in perferendis injúriis patientia decorásti : concède propitius ; ut, cujus Festum cólimus, ejus imitatione caritátem exercéndo,

præmia mereámur ætérna. Per Dóminum.

In Missis votivis pro Festum dicitur Commemorationem.

Et, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigilæ et Feriæ, juxta Rubricas. Feria autem II Rogationum et in eadem Vigilia Ascensionis in fine Missæ legitur Evangelium respective de Feria vel de Vigilia, ut in Missali. Missæ autem privatæ ad libitum dici etiam possunt, juxta Rubricas, Feria II de ea cum 2^a tantum Oratione Festi ; in Vigilia Ascensionis, vel de Vigilia vel de Feria cum 2^a Oratione Festi, 3^a S. Pii, 4^a de qua non dicitur Missa.

DIE 16 MAJI

S. Simonis Stock Conf. O. N.

Missa Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Plebs tibi, Dómine, Virgini- que Matri dicáta, beáta Simónis, quem ei rectórem et patrem dedisti, sollemnitate lætétur : ut, sicut per eum tantæ protectionis signum obtínuit, ita prædestinationis ætérnæ múnere consequátur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Ubal- di Ep. et Conf., ut in Missali.

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigilæ et Feriæ, juxta Rubricas. Feria autem II Rogationum et in eadem Vigilia Ascensionis in fine Missæ legitur

Evangelium respective de Feria vel de Vigilia, ut in Missali, de quibus tamen prohibentur Missæ privatæ.

¶ Item de S. Ubaldo Ep. et Conf. Missæ prohibentur.

DIE 21 MAJI

In Translatione

S. Joannis a Cruce Conf. O. N.

Missæ ut in Festo, die 24 Novembris, præter Orationem sequentem, in qua parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis Discalceatis. Tempore vero Paschali additur duplex Allelúja ad Antiphonam Introitus et unum Allelúja in fine Offertorii et Communionis. Post Epistolam vero omittitur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ut suo loco notatur.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum (ac Patrem nostrum) perfectæ sui abnegationis, et crucis amatórem eximium effecisti : concéde ; ut cujus hódie Translationem cólimus, ejúsdem imitationi júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérrnam. Per Dóminum.

Et, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, juxta Rubricas. Feria autem II Rogationum et in eadem Vigilia Ascensionis in fine Missæ legitur Evangelium respective de Feria vel de Vigilia, ut in Missali. Missæ autem privatæ ad libitum dici etiam possunt, juxta Rubricas, Feria II de ea cum 2^a tantum Oratione Festi ; in Vigilia

Ascensionis, vel de Vigilia vel de Feria cum 2^a Oratione Festi et 3^a de ea de qua non dicitur Missa.

Credo.

DIE 25 MAJI

S. Mariæ Magdalænæ de Pazzis
Virg. O. N.

Introitus Osee 2, 19

Sponsábo te mihi in sempitérnum : et sponsábo te mihi in justitia, et iudicio, et in misericórdia, et in miseratióibus. (T. P. Allelúja, allelúja). Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Mariam Magdalénam Virginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da, ut, quam festiva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis pro festiva dicitur devóta.

Et fit Commemoratio S. Gregorii VII Papæ et Conf.

Oratio

Deus, in te sperántium fortitúdo, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontificem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte, virtúte constantiæ roborásti : da nobis, ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. (Per Dóminum.)

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in

Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, juxta

Rubricæ.
Postea Commemoratio S. Urbani I. Papæ et Mart.

Oratio

Deus, qui Ecclesiã tuam in apostolicæ petræ soliditate fundatam, ab infernarum ærulis terrore portarum: præcisa, quosumus; ut, intercedente beato Urbano Martyre tuo atque Summo Pontifice, in tua veritate persistens, continua securitate maneat.

Per Dominum.

Lectio libri Sapiëntiæ.

Cant. 8, 3-7

Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuo vos, filiæ Jerusalem, ne suscitëtis, neque evigilare faciätis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem; nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale Ps. 70, 20 Quanta ostendisti mihi tribulationes multas, et malas: et conversus vivificasti me; et de abyssis terræ iterum reduxisti me. **V.** Ps. 93, 19 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo:

consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Allelûja, allelûja. **V.** Galat. 2, 19-20 Christo confixa sum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Allelûja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelûja, allelûja. **V.** De ore prudentis procedit mel: dulcedo mellis est sub lingua ejus: favus distillans labia ejus. Allelûja. **V.** Sapiëntia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermone oris illius. Allelûja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelûja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 44, 11, 13, 15-16 Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: quia concupivit Rex speciem tuam. **V.** Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiæ regum in honore tuo. **V.** Adducuntur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferuntur tibi. **V.** Afferuntur in lætitia, et exultatione: adducuntur in templum Regis.

✠ Sequëntia sancti Evangëlii secundum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius

revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et inveniatis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium Ps. 17, 17-18 Misit de summo, et accepit me : et assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis (T. P. Allelúja.)

Secreta

Deus, qui beatam Mariam Magdalenam Virginem Spiritus Sancti donis mirabiliter imbuisti : da, ut, ipsa pro nobis intercedente, idem nobis hujus sacrificii revelet arcánium, et omnem reseret veritatem. Per Dóminum... in unitate ejusdem.

Pro S. Gregorio VII

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent : ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus.

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, ut supra.

Postea pro S. Urbano

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quæsumus, emúndet nostra delicta : et ad sacrificium celebrandum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctificet. Per Dóminum.

Communio Ps. 17, 25 Retribuit mihi Dóminus secúndum justitiam meam : et secúndum puritatem mánuum meárum in

conspéctu oculórum ejus. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Sumpsimus, Dómine, sacri dona mystérii, te humiliter deprecántes : ut, sicut in beata María Magdaléna Virgine magnalia tua prædicámus ; sic tuæ misericórdiæ largitatem piis ejus précibus consequámur. Per Dóminum.

Pro S. Gregorio VII

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut, de perceptis munéribus grátias exhibentes, intercedente beato Gregório Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus.

Deinde, in Feriis Rogationum, fit Commemoratio Feriæ, et in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ et Feriæ, ut supra.

Postea pro S. Urbano

Postcommunio

Refecti participatióne múnere sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exsequimur cultum, intercedente beato Urbáno, Mártire tuo atque Pontifice, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis in fine Missæ legitur Evangelium respective de Feria vel de Vigilia, ut in Missali. Missæ autem privatæ ad libitum dici etiam possunt, juxta Rubricas. Feria II de ea cum 2^a Oratione Festi, 3^a S. Gregorii et 4^a S. Urbani ; in Vigilia Ascensionis, vel de Vigilia vel de Feria, cum 2^a Oratione Festi, 3^a S. Gregorii, 4^a S. Urbani

et 5^a de ea de qua non dicitur Missa.

¶ De S. Gregorio VII Papa et Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

FESTA JUNII

DIE 7 JUNII

B. Annæ a S. Bartholomæo
Virg. O. N.

Missæ Dilexisti, de Comuni Virginum 3 loco, cum Orationibus ut infra.

Oratio

Deus, qui beatam Annam Virginem tuam, eximium humilitatis exemplar effecisti : concede nobis, famulis tuis ; ut, illius vestigia sequentes, promissa humilibus præmia consequi valeamus. Per Dominum.

Secreta

Hæc dona, tibi, Domine, offerentes, suppliciter deprecamur : ut, beata Anna Virgine tua interveniente, vota quoque nostra ante conspectum divinæ majestatis tuæ accepta inveniri mereantur. Per Dominum.

Postcommunio

Salutaribus replenti mysteriis, quæsumus, Domine Deus noster : ut Festivitate beatæ Annæ Virginis tuæ gaudentes, ejusdem intercessione cælestium donorum participes fieri valeamus. Per Dominum.

¶ In Missis votivis pro Festivitate dicitur Commemoratioe.

DIE 14 JUNII

S. Elisei Prophetæ
Patris Nostri

Introitus 4 Reg. 2, 15

Requiëvit spiritus Eliæ super Elisæum : et venientes filii Prophetarum in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram. Ps. 76, 2 Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum, et intendit mihi. V. Gloria Patri.

Oratio

Omnipotens sempiternæ Deus, qui in electis Prophetis tuis mirabilis prædicaris : præsta, quæsumus ; ut, sicut Eliæ spiritum in Propheta tuo Elisæo complexisti, ita in nobis Spiritus Sancti gratiam ad virtutum opera exercenda multiplicare digneris. Per Dominum... in unitate ejusdem.

Et fit Commemoratio S. Basilii Magni, Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Oratio

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Basilii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferrimus : et, qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lectio libri Sapiëntiæ.

Eccli. 48, 11-15

Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt : nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Elias quidem in turbine tectus est, et in Elisæo completus est spiritus

ejus : in diébus suis non per-
tímit principem, et poténtia
nemo vicit illum : nec superávit
illum verbum áliquod, et mórtu-
um prophetávit corpus ejus.
In vita sua fecit monstra, et in
morte mirabilia operátus est.

Graduale Ps. 126, 4-5 Sicut
sagittæ in manu poténtis : ita
filii excussórum. *V.* Beátus vir,
qui implévit desidérium suum
ex ipsis : non confundérur cum
loquétur inimícis suis in porta.

Allelúja, allelúja. *V.* 4 Reg.
2, 22 Sanátæ sunt aquæ usque
in diem hanc, juxta verbum
Eliséi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Lucam.

Luc. 4, 23-27

In illo témpore : Dixit Jesus
Pharisæis : Utique dicétis
mihi hanc similitúdinem : Mé-
dice cura te ipsum : quanta
audivimus facta in Caphárnaum,
fac et hic in pátria tua. Ait au-
tem : Amen dico vobis, quia
nemo Prophéta accéptus est in
pátria sua. In veritate dico vo-
bis, multæ víduæ erant in dié-
bus Eliæ in Israël, quando clau-
sum est cælum annis tribus et
ménsibus sex : cum facta esset
fames magna in omni terra : et
ad nullam illárum missus est
Eliás, nisi in Sarépta Sidóniæ,
ad mulierem víduam. Et multi
leprósi erant in Israël sub Eli-
séo Prophéta : et nemo eórum
mundátus est nisi Náaman Sy-
rus.

Credo, ratione Commemora-
tionis.

Offertorium^r 4 Reg. 2, 9-10
Obsecro ut fiat in me duplex

spíritus tuus. Respondit Eliás :
Si videris me, quando tollar a
te, erit tibi quod petisti.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, laudis
offérimus, suppliciter de-
precántes : ut eásdem, pro no-
bis prophético interveniéntem suf-
frágio, et placátus accipias, et
ad salútem nostram provenire
concedás. Per Dóminum.

Pro S. Basilio Magno

Secreta

Sancti Basilií Confessóris tui
atque Pontificis, quæsu-
mus, Dómine, ánnua solémnitas
pietáti tuæ nos reddat accéptos :
ut per hæc piæ placatiónis offi-
cia, et illum beáta retribúto co-
mitétur, et nobis grátia tuæ
dona concíliet. Per Dóminum.

Communio 4 Reg. 13, 21 Té-
tigit cadáver ossa Eliséi, et re-
vixit homo, et stetit super pe-
des suos, allelúja.

Postcommunio

Purificet nos semper tui per-
céptio sacraménti : et, in-
tercessióne beáti Eliséi prophétæ
tui, mereámur gáudiis cælestibus
abundáre. Per Dóminum.

Pro S. Basilio Magno

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor
animárum : præsta ; ut
beáti Basilií Confessóris tui at-
que Pontificis, cujus venerán-
dam celebrámus festivitátem,
précibus indulgéntiam consequá-
mur. Per Dóminum.

¶ De S. Basilio Magno Ep.,
Conf. et Eccl. Doct. Missæ pro-
hibentur.

FESTA JULII

DIE 9 JULII

Beatæ Joannæ Scopelli

Virg. O. N.

Missæ Dilexisti, de Communi Virginum 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deprecantium exauditor Deus, qui beatam Joannam orationis ac poenitentiae spiritu contra daemones fraudes roborasti : ipsius meritis et intercessione nos eodem confirmam ; ut, superatis hostium insidiis, ad palmam victoriae perducamur. Per Dominum.

DIE 13 JULII

In Translatione**S. Teresiae Virginis**

Matris Nostrae

Missæ ut in Festo 55, præter Orationem sequentem, in qua parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis Discalceatis :

Oratio

Exaudi nos, Deus salutaris noster : ut, sicut de beatæ Teresiae, Virginis tuæ (et Matris nostræ), Translatione gaudemus ; ita caelestis ejus doctrinae pabulo nutriamur, et piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Anacleti Papæ et Mart., ut in Missali, ac dicitur Credo.

¶ De S. Anacleto Papa et Mart. dici possunt Missæ etiam privatae ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

Die 14 Julii. Si hodie fuerit Sabbatum in Missa de S. Bonaventura Ep. et Conf. fit Commemoratio Vigiliæ anticipatae Commemorationis sollemnis Bmæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, ut infra, et in fine Missæ legitur Evangelium Vigiliæ, de qua ad libitum dici possunt Missæ privatae, juxta Rubricas, cum 2^a tantum Oratione Festi.

Die 15 Julii. In Missa de S. Henrico Imp. Conf. fit Commemoratio Vigiliæ Commemorationis sollemnis Bmæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, ut in Missa sequenti, cum 3^a Oratione de Spiritu Sancto, et in fine Missæ legitur Evangelium Vigiliæ, de qua ad libitum dici possunt Missæ privatae, juxta Rubricas.

EADEM DIE 15 JULII

In Vigilia**Commemorationis sollemnis****Beatissimæ Virg. Mariæ****de Monte Carmelo**

Introitus

Jer. 2, 7

Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, et optima illius. Ps. 132, 1 Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. V. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excelsis.

Oratio

Orescat, Domine, semper in nobis sanctæ devotionis affectus, ut beatissimæ Virginis Mariæ, cujus sollemnem Commemorationem prævenimus obsequio, meritis et intercessionibus commendemur. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Henrici Imp., Conf.

Oratio

Deus, qui hodierna die beatum Henricum, Confessorem tuum, e terreni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulisti : te súpplices exorámus ; ut, sicut illum, grátiae tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecisti, ita nos fácias, ejus imitátione, mundi hujus blandiménta vitare et ad te puris méntibus pervenire.

De Spiritu Sancto

Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustrátione docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere ; et de ejus semper consolátione gaudére. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Lectio Isaíæ Prophétæ

Is. 35, 1-7

Lætábitur desérta et invia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætábúnda et laudans ; glória Líbani data est ei : decor Carméli et Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et gèna debilia roboráte. Dícite pusillánimis : Confortámini et nolite timére : ecce, Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórú, et aures surdórú patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórú : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in so-

litúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquárum.

Graduale Ps. 90, 4-5 Scá-pulis suis obumbrábit tibi : et sub pennis ejus sperábis. Scuto circúmdabit te véritas ejus : non timébis a timóre noctúrno. V. Num. 14, 13-14 Ut áudiant Ægyptii, de quorum médio eduxisti pópulum istum, et habitátóres terræ hujus, quod tu, Dómine, in pópulo isto sis. Nubes tua prótegat illos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 11, 27-28

In illo témpore : Loquente Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam mülíer de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit. Quiním-mo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Offertorium Ezech. 16, 8 Expándi amictum meum super te, et jurávi pactum tecum.

Secreta

Súscipe, Dómine, sacrificium placatiónis et laudis : quod nos, intercedente beatíssima Vírgine Matre tua, cujus sollém-nem Commemoratiónem prævenimus, et perdúcat ad véniam, et in perpétua gratiárum constítuat actiône : Qui vivis.

Pro S. Henrico

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum : quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris.

De Spiritu Sancto
Secreta

Múnera, quæsumus, Dómine, oblata sanctifica : et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum... in unitate ejúsdem.

Præfatio communis.

Communio Ezech. 46, 1 Porta átrii interiórís, quæ réspicit ad Oriéntem, erit clausa sex diébus : die autem Sábbati aperiétur.

Postcommunio

Quæ sumpsimus, Dómine, sacrosáncta mystéria : quæsumus ; ut, beatissimæ Virginis intercessióne, præsentem no-

bis misericórdiam cónferant et ætérnam. Per Dóminum.

Pro S. Henrico
Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súplices exorámus : ut, in cujus hęc Commemoratióne percépi-mus, ejus muniámur et préci-bus.

De Spiritu Sancto
Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsió : et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum... in unitate ejúsdem.



DIE 16 JULII

IN COMMEMORATIONE SOLLEMNI

BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO

TITULARIS ET PATRONÆ TOTIUS ORDINIS CARMELITARUM

Introitus Cant. 7, 1 et 4, 11

Quam pulchri sunt gressus tui, filia principis ! Favus distillans labia tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Ps. 97, 1 Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit. *V.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carméli Ordinem decorasti : concede propitius ; ut, cujus hodie Commemorationem sollèmnì celebramus officio, ejus muniti præsidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur : Qui vivis.

Lectio libri Regum.

3 Reg. 18, 42-45

Elias autem ascendit in verticem Carméli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, et dixit ad puerum suum : Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait : Non est quidquam. Et rursus ait illi : Revertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce, nubecula parva quasi vestigium hominis ascen-

debat de mari. Qui ait : Ascende, et dic Achab : Junge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce, cæli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis.

Graduale Judith 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israëli, tu honorificentia populi nostri. *V.* Cant. 7, 5 Caput tuum ut Carmelus ; et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.

Allelúja, allelúja. *V.* Is. 35, 2 Glória Libani data est ei : decor Carméli et Saron. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Joannem.

Joann. 19, 25-27

In illo tempore : Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cléophæ, et Maria Magdaléne. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Ezechiel. 46, 1
Porta átrii interiõris, quæ respicit
ad Oriëntem, erit clausa sex di-
bus; die autem Sábbati aperiétur.

Secreta

Tua nos, Dómine, abundántia
pietátis indúlgeat: ut per
sacra múnera, quæ tibi reverén-
ter offerimus, gratum beatissimæ
Fili tui matri famulátum exer-
cere valeámus. Per eúndem Dó-
minum.

Præfatio de Bmæ Maria Virg.
de Monte Carmelo, ut infra in
fine hujus Proprii, quæ dicitur
per totam Octavam in omnibus
Missis quæ aliam Præfationem
non exigant, juxta Rubricas.

Communio Jerem. 2, 7 Indú-
xi vos in terram Carméli, ut co-
mederétis fructum ejus et óptima
illius.

Postcommunio

Læta nos, Dómine, quæsumus,
beatissimæ Virginis Matris
tuæ sollémnis Commemoratio
semper excípiat: quæ jucunditá-
tem nobis suæ protectiónis, et
pacis securitátem infúndat, et tibi
nos reddat accéptos: Qui cum
Patre et Spiritu Sancto vivis et
regnas in sæcula sæculórum.

¶ Infra Octavam et in die
Octava Missa dicitur ut in Festo,
additis tamen, juxta Rubricas,
Commemorationibus occurrenti-
bus, ut infra.

¶ Per totam Octavam et in die
Octava Missæ de Festis duplici-
bus et semiduplicibus, de quibus
fit Commemoratio, prohibentur.

¶ Pro Votiva de Bma Virgine
Maria de Monte Carmelo dicitur
Missa Gaudens, quæ habetur cir-
ca finem hujus Proprii Missa-
rum.

DIE 17 JULII

Die II infra Octavam

Commemorationis sollemnis
Bmæ Virginis Mariæ de Monte
Carmelo

Fit Commemoratio S. Alexii
Conf. ut in Missali, et 3^a Oratio
dicitur de Spiritu Sancto.

DIE 18 JULII

Die III infra Octavam

Commemorationis sollemnis
Bmæ Virginis Mariæ de Monte
Carmelo

Fit Commemoratio S. Camilli
de Lellis, Conf., ac deinde Ss.
Symphorosæ et septem Filiorum
ejus Mm., ut in Missali.

DIE 19 JULII

Die IV infra Octavam

Commemorationis sollemnis
Bmæ Virginis Mariæ de Monte
Carmelo

Fit Commemoratio S. Vincen-
tii a Paulo, Conf., ut in Missali.



S. ELIÆ PROPHETÆ

DUCIS AC PATRIS NOSTRI

Introitus Mal. 4, 5-6

Ecce ego mittam vobis Eliam Prophétam, antequam véniat dies Dómini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiórum ad patres eórum. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedicat nobis : illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. V. Glória Patri.

¶ Parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut, qui beátum Eliam, Prophétam tuum (et Patrem nostrum,) igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus ; eódem interveniéntem ad cælestia sublevémur, et Sanctorum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Commemorationis sollemnis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

Oratio

Deus, qui beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ Mariæ singulári título Carméli Ordinem decorásti : concède propítius ; ut, cujus hódie Commemorationem sollénni celebrá-

mus officio, ejus muniti præsi-diis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur : (Qui vivis.)

Deinde, in Missis privatis tantum, Commemoratio S. Hieronymi Æmiliani, Conf.

Oratio

Deus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluisti : concède ; ut spíritum adoptionis, quo filii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 48, 1-10

Surréxit Elias Prophéta, quasi ignis, et verbum illius quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt : non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini continuit cælum, et dejécit de cælo ignem ter : sic amplificátus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriári tibi ? Qui sustulisti mórtuum ab inferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti fácite poténtiam ipsórum, et gloriósum de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia de-

fensionis. Qui ungis reges ad poenitentiam, et prophetas facis successores post te. Qui recēptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini : conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.

Graduale Ps. 144, 18-19 Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate. *V.* Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos.

Allelúja, allelúja. *V.* 3 Reg. 18, 36, 38 Dómine Deus, ostēde hódie quia tu es Deus Israēl, et ego servus tuus. Et cecidit ignis Domini, et voravit holocāustum. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 26, 2-3 Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt. *V.* Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum. *V.* Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.

Tempore autem Paschali omititur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *V.* 3 Reg. 18, 36, 38 Dómine Deus, ostēde hódie, quia tu es Deus Israēl, et ego servus tuus. Et cecidit ignis Domini, et voravit holocāustum. Allelúja. *V.* Ps. 85, 10 Magnus es tu, Dómine, et faciens mirabilia : tu es Deus solus. Allelúja.

✠ Sequētia sancti Evangēlii secūndum Lucam.

Luc. 9, 28-36

In illo tempore : Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera : et vestitus ejus albus et refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, et Elias, visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Petrus vero, et qui cum illo erant gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ, nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos : et timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

Credo.

Offertorium Jac. 5, 17-18 Elias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursus oravit : et cælum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum, allelúja.

Secreta

Offerimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Eliæ, Prophætæ tui (et Patris nostri) : et sicut tu holocáusto illius adfuisti, ita sacrificium nostrum accéptare dignéris ; ut per illud ad ætérnam pervenire mereámur lætítiam. Per Dóminum.

Pro Octava

Commemorationis sollemnis

Secreta

Qua nos, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat : ut per sacra múnera, quæ tibi reverénter offerimus, gratum beatíssimæ Filii tui matri famulátum exercere valeámus. (Per eúmdem Dóminum.)

Deinde, in Missis privatis tantum, pro S. Hieronymo,

Secreta

Clementissime Deus, qui, véteri hómine consúmpto, novum secúndum te in beáto Hierónymo creáre dignátus es : da, per mérita ipsíus ; ut nos páriter renováti, hanc placatiónis hóstiam in odórem tibi suavíssimum offerámus. Per Dóminum.

Præfatio de S. Elia, ut infra in fine hujus Proprii, quæ dicitur etiam per Octavam, post expletam Octavam Commemorationis sollemnis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo in omnibus Missis quæ aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio 3 Reg. 19, 8 Comédit Eliás et bibit, et ambulávit in fortitúdone cibi illius

usque ad montem Dei, allelúja.

Postcommunio

Deus, qui per sanctum Angelum beáto Eliæ, Prophætæ tuo (et Patri nostro), cibum et potum tribuisti : ipso interveniénte concéde ; ut, quæ de cælesti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum.

Pro Octava

Commemorationis sollemnis

Postcommunio

Læta nos, Dómine, quæsumus, beatíssimæ Virginis matris tuæ sollémnis Commemorátio semper excipiat : quæ jucunditátem nobis suæ protectiόνis, et pacis securitátem infúndat, et tibi nos reddat accéptos. (Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum.)

Deinde, in Missis privatis tantum, pro S. Hieronymo.

Postcommunio

Angelórum pane refécti te, Dómine, suppliciter deprecámur : ut, qui ánnuam beáti Hierónymi Confessóris tui memóriam celebráre gaudémus ; ejúsdem étiam et exémplum imitémur, et amplíssimum in regno tuo præmium obtinére valeámus. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis, si dicenda sit Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, in Oratione et Postcommunione omittantur verba beáto Elia.

DIE 21 JULII

Die VI infra Octavam

Commemorationis sollemnis
Beatissimæ Virginis Mariæ
de Monte Carmelo

Fit Commemoratio Octavæ
S. Eliæ Prophetæ P. N., 38,
ac deinde S. Praxedis Virg.,
ut in Missali.

DIE 22 JULII

Die VII infra Octavam

Commemorationis sollemnis
Beatissimæ Virginis Mariæ
de Monte Carmelo

Fit Commemoratio S. Mariæ
Magdalenæ Pœnit., ut in Mis-
sali, ac deinde Octavæ S. Eliæ
Prophetæ P. N., 38.

DIE 23 JULII

In Octava

Commemorationis sollemnis
Beatissimæ Virginis Mariæ
de Monte Carmelo

Fit Commemoratio S. Apol-
linaris Ep. et Mart., ut in Mis-
sali ; deinde Octavæ S. Eliæ
Prophetæ P. N., 38 ; postea S.
Liborii Ep. et Conf., item ut in
Missali.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum,
post Commemorationem Octa-
væ S. Eliæ fit Commemoratio
Vigiliæ anticipatæ S. Jacobi, ut
in Missali, et de ea legitur Evan-
gelium in fine. Deinde fit Com-
memoratio S. Liborii cum Ora-
tione Exaudi ex Missa Sacer-
dotes tui, de Comuni Confes-
soris Pontificis 2 loco. De Vi-
gilia vero Missæ privatæ pro-
hibentur.

DIE 24 JULII

**Bb. Teresiæ a S. Augustino
et Sociarum**

Vv. et Mm. O. N.

Introitus Ps. 118, 95-96

Me expectaverunt peccatô-
res ut perderent me :
testimônia tua, Dómine,
intelléxi : omnis consummatio-
nis vidi finem : latum mandá-
tum tuum nimis. Ps. ibid., 1
Beáti immaculáti in via : qui
ámbulant in lege Dómini. V.
Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ob invictam in tuo
amóre constantiam beátam
Terésiam et Sócias ejus de vér-
tice Carméli ad martyrii coró-
nam vocásti : tribue, quæsumus ;
ut, te fidéliter diligéntes, ad
contemplándam spéciem tuæ cel-
sitúdinis perducámur. Per Dó-
minum.

Et fit Commemoratio Octavæ
S. Eliæ Prophetæ P. N.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípo-
tens Deus : ut, qui beá-
tum Eliám, Prophétam tuum (et
Patrem nostrum), igneo curru
mirabiliter elevátum esse crédi-
mus ; eódem interveniénte ad
cæléstia sublevémur, et Sanctó-
rum tuórum consórtio gaudeá-
mus.

Deinde Commemoratio Vigi-
liæ S. Jacobi Ap.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens
Deus : ut beáti Jacóbi Apó-
stoli tui, quam prævenimus, ve-
neránda solémnitas, et devotió-
nem nobis áugeat, et salútem.

Postea S. Christinæ Virg. et Mart.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christina Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper exstitit et mérito castitátis, et tuæ professione virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 13-17

Dómine Deus meus, exaltásti super terram habitatióem meam, et pro morte defluente deprecáta sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et in tēpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assidue, et collaudábo illud in confessiōe, et exaudita est oratio mea. Et liberásti me de perditiónē, et eripuisti me de tēpore iniquo. Propterea confitēbor, et laudem dicam tibi, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 45, 6 Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovēbitur. *V.* Ibid., 5 Flúminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. *V.* Hæc est virgo sapiens, et una de número prudentum. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Veni, sponsa ex Missa Me expectavérunt, de Communi 2 loco. Tempore autem Paschali

omittitur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 1-13

In illo tēpore : Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virginibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lámpádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lámpádibus. Moram autem faciēte sponso dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes virgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixerunt : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendétes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus ; et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánuua. Novissime vero véniunt et réliquæ virgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescitis diem neque horam.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 44, 3 Dif-
fusa est grátia in lábijs tuis :
propterea benedixit te Deus in
ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta

Sacrificium illud tibi, Dómi-
ne, offérimus, de quo mar-
tyrium sumpsit omne princi-
pium, humiliter deprecátes : ut
quam beáta Terésia ejúsque Só-
ciæ ex hoc sacro convívio for-
titúdinem hausérunt, eámdem et
nos in confessióne tui nóminis
habeámus. Per Dóminum.

Pro Octava S. Eliæ

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, hó-
stiam laudis in honórem
sancti Eliæ, Prophætæ tui (et
Patris nostri) : et sicut tu ho-
locáusto illius adfuísti, ita sacri-
fícium nostrum acceptáre digné-
ris ; ut per illud ad ætérnam
pervenire mereámur lætítiam.

Deinde pro Vigilia

Secreta

Apostólici reveréntia cúlminis
offeréntes tibi sacra mysté-
ria, Dómine, quæsumus : ut beá-
ti Jacóbi Apóstoli tui suffrágijs,
cujus natalítia prævenimus, plebs
tua semper et sua vota depró-
mat, et desideráta percípiat.

Postea pro S. Christina

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ
Christinæ Virginis et Már-
tyrís tuæ dicátas méritis, be-
nignus assúme : et ad perpé-
tuum nobis tribue provenire
subsídium. Per Dóminum.

Præfatio de S. Elia ratione
Octavæ, ut infra, in fine hujus
Proprii.

Communio Ps. 118, 121 et 128
Feci judícium et justítiam, Dómi-
ne, non calumniéntur mihi su-
pérbi : ad ómnia mandáta tua di-
rigébar, omnem viam iniquitátis
ódio hábui.

Postcommunio

Oælésti pane refécit da nobis,
Dómine, in sancta professió-
ne constántiam : ut, hóstium óm-
nium superátis insidijs, sempitér-
næ glóriæ tuæ participes esse
mereámur. Per Dóminum.

Pro Octava S. Eliæ

Postcommunio

Deus, qui per sanctum Ange-
lum beáto Eliæ, Prophætæ
tuo (et Patri nostro,) cibum et
potum tribuísti : ipso interveniént-
te concéde ; ut, quæ de cælésti
mensa percépimus, sincéris mén-
tibus illibáta servémus.

Deinde pro Vigilia

Postcommunio

Sancti Apóstoli tui Jacóbi, quæ-
sumus, Dómine, supplicatió-
ne placátus : et véniam nobis
tribue, et remédia sempitérna
concéde.

Postea pro S. Christina

Postcommunio

Divini múnis largitáte satiáti,
quæsumus, Dómine Deus
noster : ut, intercedénte beáta
Christina Virgine et Mártyre tua,
in ejus semper participatióne vi-
vámus. Per Dóminum.

In fine legitur Evangelium Vi-
giliæ.

✠ Sequéntia sancti Evagélii se-
cúndum Joánnem.

Joann. 15, 12-16

In illo témpore : Dixit Jesus
discípulis suis : Hoc est præ-

céptum meum, ut diligátis invicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectionem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si fecéritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amicos : quia ómnia quæcúmque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis : sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis : et fructus vester máneat : ut quodcúmque petiéri-tis Patrem in nómine meo, det vobis.

¶ De Vigilia ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, sine Glória, cum 2^a Oratione Festi, 3^a Octavæ et 4^a S. Christinæ, sine Credo, cum Præfatione tamen Octavæ.

Die 25 Julii. In Missa de S. Jacobo Ap. omittitur Commemoratio Octavæ S. Eliæ Prophetæ P. N.

Die 26 Julii. In Missa de S. Anna item omittitur Commemoratio Octavæ S. Eliæ Prophetæ P. N., sed dicitur Credo cum Præfatione ejusdem Octavæ.

DIE 27 JULII

In Octava

S. Eliæ Prophetæ P. N.

Missæ ut in Festo 38, omissa Commemoratione Octavæ Beatissimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo et addita Commemoratione S. Pantaleonis Mart., ut in Missali.

DIE 30 JULII

Beati Joannis Soreth

Conf. O. N.

Missæ Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Bonórum ómnium largitor Deus, qui beátum Joánnem ardénti honóris tui zelo et singulari in subeúndis periculis fortitudine roborásti : ejus méritis et précibus concéde ; ut advérsa ómnia toleráre, et in tua dilectione persistere valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Abdon et Sennen Mm., ut in Missali.

FESTA AUGUSTI

DIE 7 AUGUSTI

S. Alberti Conf. O. N.

Introitus Ps. 36, 30-31



Susti meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loqué-tur judicium : lex Dei ejus in corde ipsius. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Albértum, Confessórem tuum, ad sanctæ Genitricis tuæ Ordinem vocáre dignátus es : tribue, quæsumus ; ut, ejus méritis et exémpis, digne tibi serviámus, et ætéris cum ipso bonis perfruámur : Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Cajetani Conf.

Oratio

Deus, qui beato Cajetano Confessori tuo apostolicam vivendi formam imitari tribuisti : da nobis, ejus intercessione et exemplo, in te semper confidere, et sola caelestia desiderare.

Deinde Commemoratio S. Donati Ep. et Mart.

Oratio

Deus, tuorum gloria sacerdotum : praesta, quaesumus ; ut sancti Martyris tui et Episcopi Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per Dominum. Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

1 Tim. 6, 6-12

Carissime : Est quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, haec fuge : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florabit : sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. V. Ibid., 3 Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem.

Alleluja, alleluja. V. Jac. 1, 12 Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur Tractus Beatus vir ex Missa Os justi, de Comuni 1 loco.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicuntur Alleluja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Matth. 19, 27-29

In illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

Offertorium Ps. 88, 25 Veritas mea, et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta

Hostias tibi, quaesumus, Domine, beati Alberti Confessoris tui, dicatas meritis, benignus assume : et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Pro S. Cajetano
Secreta

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus : ut nostræ humilitatis oblatio, et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet.

Deinde pro S. Donato
Secreta

Præsta, quæsumus, Domine : ut sancti Martyris tui et Episcopi Donati intercessione, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis fructus devotionis accrescat. Per Dominum.

Communio Matth. 24, 46-47
Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem : amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio

Deus, qui Filium tuum, ut ignem mitteret in terram, venire fecisti : concede propitius ; eo nos vehementer accendi, qui beatum Albertum, Confessorem tuum, ad tibi serviendum jugiter inflammavit. Per eundem Dominum.

Pro S. Cajetano
Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus : ut qui cælestia alimenta percépimus, intercedente beato Cajetano Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Deinde pro S. Donato
Postcommunio

Omnipotens et misericors Deus, qui nos sacramentorum

tuorum et participes efficiis, et ministros : præsta, quæsumus ; ut, intercedente beato Donato, Martyre tuo atque Pontifice, ejusdem proficiamus et fidei consortio, et digno servitio. Per Dominum.

¶ De S. Cajetano Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 18 AUGUSTI

**B. Angeli Augustini Mazzinghi
Conf. O. N.**

Missæ Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui nos annua beati Angeli, Confessoris tui, sollemnitate lætificas : præsta ; ut, quem religiosæ vitæ assertorem habuimus in terris, patronum habere mereamur gloriosum in cælis. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis B. Mariæ Virg., deinde S. Agapiti Mart., ut in Missali ; ac dicitur Credo cum Præfatione de B. Maria Virg. Et te in Assumptione, ratione Octavæ.

DIE 27 AUGUSTI

**In Transverberatione Cordis
S. Teresiæ Virg.**

Matris Nostræ

Introitus Habac. 3, 9 et 11



uscitans suscitabis, Domine, arcum tuum in luce sagittarum tuarum, et

cum splendore fulgurantis hastæ tuæ. Ps. 107, 2 Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psallam in gloria mea. V. Glória Patri.

¶ Parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis discalceatis.

Oratio

Deus, qui illibata præcordia beatæ Virginis Teresiæ, Sponsæ tuæ ac (Matris nostræ), ignito jáculo transfixisti, et caritatis victimam consecrasti : ipsa interveniēte concede ; ut corda nostra ardore Sancti Spiritus ferveant, et te in omnibus super omnia diligant : Qui vivis et regnas... in unitate ejusdem.

Et fit Commemoratio S. Josephi Calasancii Conf.

Oratio

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum, ad erudiendam spiritum intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es : præsta, quæsumus ; nos, ejus exemplo et intercessiōne, ita facere et docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Hebr. 4, 12-13

Hatres : Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.

Graduale Ps. 41, 2-3 Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus. V. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

Allelúja, allelúja. V. Ps. 16, 3 Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 12, 48-50

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Omni, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur ? Baptismo autem habeo baptizari : et quomodo coartor usque dum perficiatur ?

Oratio.

Offertorium Levit. 3, 11 Univerſa vitælia adolebit in pábulum ignis et oblationis Dómini.

Secreta

Majestati tuæ, quæsumus, Dómine, beatæ Teresiæ precibus nostra sit accepta devotio : cui transfixi et combusti Cordis ejus digne placuit holocaustum. Per Dóminum.

Pro S. Josepho Calasancio

Secreta

Altare tuum, Dómine, muneribus cumulamus oblatis : ut ejus nobis fiant supplicatiōne propitia, cujus nos donasti patrocinio adjuvâri. Per Dóminum.

Præfatio de S. Teresia, ut infra, in fine hujus Proprii.

Communio Deut. 4, 36 Quóniam Dóminus ipse est Deus, et de cælo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, et in terra osténdit tibi ignem suum máximum.

Postcommunio

Deus, qui Filium tuum, ut ignem mitteret in terram, venire fecisti : da nobis, eo indesinenter accendi, qui beátam Terésiam feliciter adússit, et ad te diligendum íntime vulnerávit. Per eúndem Dóminum.

Pro S. Josepho Calasanctio

Postcommunio

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério : quæsumus ; ut, intercedente sancto Josépho Confessore tuo, ad majus semper proficiámus pietátis incrementum. Per Dóminum.

¶ De S. Josepho Calasanctio Conf. Missæ privatæ prohibentur.

DIE 31 AUGUSTI

In Ecclesiis consecratis

**In Dedicacione
omnium Ecclesiarum consecratarum O. N.**

Missa Terribilis, de Comuni Dedicacionis Ecclesiæ. Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Raymundi Nonnati Conf., ut in Missali.

¶ De S. Raymundo Nonnato Conf. Missæ privatæ prohibentur.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo ; et pro Ora-

tionibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2^a Oratio de sancta Maria Concède, 3^a contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I SEPTEMBRIS

In Ecclesiis consecratis

**Die II infra Octavam
Dedicacionis Omn. Eccles.
consecrat. O. N.**

Fit Commemoratio S. Ægidii Abb. ; deinde Ss. Duodecim Fratrum Mm., ut in Missali, ac dicitur Credo ratione Octavæ.

DIE 2 SEPTEMBRIS

S. Brocardi Conf. O. N.

Introitus Ps. 36, 30-31

Qui sicut iustus meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium : lex Dei ejus in corde ipsius. Ps. ibid., 1 Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem. V. Glória Patri.

Oratio

Sanctifica, Dómine, famulos tuos in veneratione beati Brocardi, Montis Carméli incolæ, Confessoris tui, humiliter supplicantes ; ut ejus salutari-bus patrociniis vita nostra inter adversa ubique regatur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Stephani Regis Conf.

Oratio

Concede, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, omnipotens Deus : ut beatum Stêphanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cælis. (Per Dòminum.)

Deinde, in Ecclesiis consecratis, Commemoratio Octavæ Dedicationis Omn. Eccl. consecrat. O. N.

Oratio

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incólumes : exaudi preces pòpuli tui, et præsta ; ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dòminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31, 8-11

Beatus vir, qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus : facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Dòmino, et elemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14
Justus ut palma florébit : sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Dòmini. V. Ibid., 3 Ad annuntiandum mane misericór-

diam tuam : et veritatem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. V. Jac. 1, 12
Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Beatus vir ex Missa Os justi, de Communi 1 loco.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

In Ecclesiis consecratis, Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 25
Veritas mea, et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctorum : quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Stephano

Secreta

Réspice, quas offerimus, hóstias, omnipotens Deus : et præsta ; ut, qui passiónis Dominicæ mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus. (Per eúndem Dóminum.)

Deinde, in Ecclesiis consecratis, pro Octava.

Secreta

Annue, quæsumus, Dómine, précibus nostris : ut quicumque intra templi hujus, cujus anniversarium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfectá córporis et ánimæ devotióne placeámus ; ut, dum hæc vota præsentia réddimus, ad ætérna præmia, te adjuvante, pervenire mereámur. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47
Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigílantem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

Postcommunio

Refécti cibo, potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro S. Stephano

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut beáti Stéphani Confessóris tui fidem congrua devotióne sectémur ; qui pro ejúsdem fidei dilatatióne, de terréno regno ad cælestis regni glóriam méruiť pervenire. (Per Dóminum.)

Deinde, in Ecclesiis consecratis, pro Octava.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapidibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum : auxiliáre pópulo tuo supplicánti ; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

¶ De S. Stephano Rege, Conf., dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

Die 5 Septembris. In Ecclesiis consecratis in Missa de S. Laurentio Justiniano Ep. et Conf. 2^a Oratio de Octava, 3^a de sancta Maria Concède, ac dicitur Credo, ratione Octavæ.

DIE 7 SEPTEMBRIS

In Ecclesiis consecratis
**In Octava Dedicatiónis
omnium Ecclesiarum consecratarum O. N.**

Missa ut in Festo.

Die 14 Septembris. In Exaltatione S. Crucis, in Missis privatis addi potest Oratio pro renovatione Votorum. 70

DIE 25 SEPTEMBRIS

S. Alberti Ep. Hierosolymitani
Conf., Legislitoris O. N.

Missa Státuit, de Comuni
Confessoris Pontificis 1 loco,
præter Orationem sequentem :

Oratio

Tuæ benedictiõnis plenitúdo
super nos, quæsumus, Dó-
mine, copiõsa descéndat : et jú-
giter sancti Albèrti, Confessoris
tui atque Pontificis, placáre suf-
frágitis. Per Dóminum.

DIE 26 SEPTEMBRIS

S. Gerardi Ep. et Mart. O. N.

Introitus Eccl. 45, 30

Státuit ei Dóminus testa-
mémentum pacis : et princi-
pem fecit eum : ut sit illi
sacerdotií dignitas in ætérnum.
Ps. 131, 1 Meménto, Dómine,
David : et omnis mansuetúdinis
ejus. *V.* Glória Patri.

Oratio

Sacrátum tibi, Dómine, diem
offérimus, quo beátum Ge-
rárdum a vértice montis præci-
pitem dedérunt tui nóminis ho-
stes, suppliciter tuam clemén-
tiam exorántes ; ut, cujus so-
lémnia cólimus, veneránda ejus
pássio nobis proficiat ad medé-
lam. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis pro solém-
nia dicitur Commemoriatióem.

Et fit Commemoratio Ss. Cy-
priani et Justinæ Virg., Mm.

Oratio

Beatórum Mártýrum Cypriáni
et Justinæ nos, Dómine,
fóveant continuáta præsidia :
quia non désinis propítius in-

tuéri, quos tálibus auxiliis con-
cèsseris adjuvári. Per Dómi-
num.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apó-
stoli. Jac. 1, 12-18

Qarissimi : Beátus vir, qui suf-
fert tentatióem : quóniam
cum probátus fúerit, accipiet cor-
ónam vitæ, quam repromisit
Deus diligéntibus se. Nemo cum
tentátur, dicat, quóniam a Deo
tentátur : Deus enim intentátor
malórum est : ipse autem né-
minem tentat. Unusquisque vero
tentátur a concupiscéntia sua ab-
stráctus et illéctus. Deinde concu-
piscéntia cum concéperit, pari-
t peccátum : peccátum vero,
cum consummátum fúerit, géne-
rat mortem. Nolite itaque errá-
re, fratres mei dilectíssimi. Om-
ne datum óptimum, et omne
donum perféctum desúrsum est,
descéndens a Patre lúminum,
apud quem non est transmutá-
tio, nec vicissitúdinis obumbrá-
tio. Voluntárie enim génuít nos
verbo veritátis, ut simus initium
áliquod creatúræ ejus.

Graduale Ps. 88, 21-23 In-
veni David servum meum, óleo
sancto meo unxi eum : manus
enim mea auxiliábitur ei, et brá-
chium meum confortábit eum.
V. Nihil proficiet inimicus in
eo, et filius iniquitátis non nocé-
bit ei. Allelúja, allelúja. *V.* Ps.
109, 4 Tu es sacérdos in ætér-
num secúndum ordinem Mel-
chisedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis
Allelúja, et Versu sequenti, di-
citur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidé-
rium ánimæ ejus tribuísti ei :
et voluntáte labiórum ejus non

fraudásti eum. *V.* Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. *V.* Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore ; Dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : qui autem perdiderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsam lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur ? Aut quam dabit homo commutatió-nem pro ánima sua ? Filius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Gerárdi Mártiris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tribue proveníre subsidiúm. Per Dóminum.

Pro Ss. Cypriano et Justina

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offerimus ; quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Ps. 88, 36, 37 et 38 Semel jurávi in sancto meo : semen ejus in ætérnum manébit : et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Refécti participatióne mún-eris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exséquimur cultum, intercedente beáto Gerádo Mártire tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Pro Ss. Cypriano et Justina

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine : intercedéntibus sanctis Mártiribus tuis Cypriáno et Justína ; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

¶ Pro votiva Tempore Paschali dicitur Missa Protexisti, de Communi 1 loco, cum Orationibus et Evangelio ut supra.

DIE 30 SEPTEMBRIS

In Festo

B. Teresiæ a Jesu Infante
Virg. O. N.

Introitus Cant. 4, 8-9

Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano veni : vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum : laudáte nomen Dómini. *V.* Glória Patri.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli,

non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus ; ita ~~beate~~ ^{sanctæ} Teresiæ Virginis in humilitate et simplicitate cordis vestigia sectari, ut præmia consequamur æterna : Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct.

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatorum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es : præsta, quæsumus ; ut, ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

Lectio Isaïæ Prophætæ.

Isai. 66, 12-14

Hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugētis : ad ubera portabimini, et super gēna blandiētur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerúsalem consolabimini. Vidēbitis, et gaudēbit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscētur manus Domini servis ejus.

Graduale Matth. 11, 25 Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *V.* Ps. 70, 5 Domine, spes mea a juventute mea.

Allelúja, allelúja. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantata super

rivos aquarum fructificata : quasi Libanus odorem suavitatis habete : florēte, flores, quasi liliū, et date odorem, et frondēte in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Cant. 2, 11-12 Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit. *V.* Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advēnit : vox turturis audita est in terra nostra. *V.* Jer. 31, 3 In caritate perpétua dilexisti te : ideo attraxi te, miserans tui.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificata : quasi Libanus odorem suavitatis habete : florēte, flores, quasi liliū, et date odorem, et frondēte in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Allelúja. *V.* Ps. 33, 9 ; 99, 5 Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : in æternum misericordia ejus. Allelúja.

✠ Sequētia sancti Evangelii secundum Matthæum.

Matth. 18, 1-4

In illo tempore : Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cælorum ? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et effi-

ciámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum.

Offertorium Luc. 1, 46-48 et 49 Magnificat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo : quia respéxit humilitátem ancillæ suæ : fecit mihi magna qui potens est.

Secreta

Sacrificium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, ~~beáta~~ Terésia Virginituæ tuæ precátio sancta concíliet : ut in cuius honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Pro S. Hieronymo

Secreta

Donis cælestibus da nobis, quæsumus, Dómine, libera tibi mente servíre : ut múnera quæ deférimus, interveniéntem

beáto Hierónymo Confessóre tuo, et medélam nobis operéntur, et glóriam. Per Dóminum nostrum.

Communio Deut. 32, 10-12 Circumdúxit eam, et dócuit : et custodívit quasi pupíllam óculi sui. Sicut áquila expándit alas suas, et assúmpsit eam, atque portávit in húmeris suis. Dóminus solus dux ejus fuit.

Postcommunio

Illo nos, Dómine, amóris igne cæléste mystérium inflámet : quo ~~beáta~~ Terésia Virgo tua se tibi pro hominibus caritátis víctimam devóvit. Per Dóminum.

Pro S. Hieronymo

Postcommunio

Repléti alimónia cælesti, quæsumus, Dómine : ut, interveniéntem beáto Hierónymo Confessóre tuo, misericórdiæ tuæ grátiam cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.



FESTA OCTOBRIS

DIE 15 OCTOBRIS

S. TERESLÆ VIRGINIS

MATRIS NOSTRÆ

Introitus 2 Reg. 4, 29

Dedit ei Dóminus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis quasi arénam, quæ est in littore maris. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum : quia mirabilia fecit. *V. Glória Patri.*

¶ Parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis discalceatis.

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beatæ Teresiæ Virginis tuæ (et Matris nostræ) Festivitatē gaudémus ; ita cælestis ejus doctrinæ pábulo nutriámur, et piæ devotiõnis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis pro Festivitatē dicitur Commemoratiõne.

Lectio libri Sapiéntiæ

Sap. 7, 7-14

Optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatiõne illius : nec comparávi illi lápidem pretiõsum : quóniam omne aurum in comparatiõne illius, aréna est exígua,

et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illius. Super salutem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inexstinguibile est lumen illius. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illius, et lætáta sum in ómnibus : quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómni-um mater est. Quam sine fictiõne didici, et sine invidia commúnico, et honestátem illius non abscondo. Infinitus enim thesáurus est hominibus : quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicitiaë Dei, propter disciplinæ dona commendáti.

Graduale Eccli. 51, 23-25
Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam : zeláta sum bonum, et non confundar. *V. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndò eam confirmáta sum.*

Allelúja, allelúja. *V. Ps. 118, 130 Declaratiõ sermónum tuórum, Dómine, illúminat : et intelléctum dat párvulis. Allelúja.*

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Isai. 54, 6, 8, 11 Ut mulierem derelictam et moerentem spiritu vocavit me Dominus. V. Dixit : Abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. V. Paupercula tempestate convulsa, absque ulla consolatione : in justitia fundaberis, et non timebis.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. V. Apoc. 19, 7 Gaudeamus, et demus gloriam ei : quia venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se. Allelúja. V. Isai. 35, 2 Exsultavit laetabunda, et laudans : gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Matth. 11, 25-30

In illo tempore : Respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et inveniatis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Jer. 20, 9 Fa-

ctus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens.

Secreta

Majestati tuae, quaesumus, Domine, beatae Teresiae precibus nostra sit accepta devotio : cui medullatum cordis ejus ita placuit holocaustum. Per Dominum.

Præfatio de S. Teresia, ut infra, in fine hujus Proprii, quae dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quae aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio Ps. 88, 2 Misericordias Domini in æternum cantabo. Allelúja.

Postcommunio

Subdita tibi familia, quam cælesti pane satiasti, quaesumus, Domine Deus noster : ut, beatae Teresiae intercessione et exemplo, misericordias tuas valeat in æternum cantare. Per Dominum.

¶ Infra Octavam Missa ut in Festo et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2 Oratio de sancta Maria Concède, 3^a contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa.

¶ In Missis votivis si dicenda sit Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, in Oratione et Postcommunionem omittuntur verba beatae Teresiae.

Die 17 Octobris. In Missa de S. Hedwige Vid. 2^a Oratio Octavae S. Teresiae, 3^a de sancta Maria Concède, ac dicitur

Credo cum Præfatione de S. Teresia, 80, 82, 84 ratione Octavæ.

Die 18 Octobris. In Missa de S. Luca Ev. omittitur Commemoratio Octavæ S. Teresiæ.

Die 19 Octobris. In Missa de S. Petro de Alcantara Conf. et die 20 in Missa de S. Joanne Cantio Conf. fit Commemoratio Octavæ S. Teresiæ ac dicitur Credo cum Præfatione de S. Teresia, 80, 82, 84 ratione Octavæ.

DIE 21 OCTOBRIS

S. Hilarionis Abbatis O. N.

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Omnipotens sempitærne Deus, qui méritis beati Hilarionis, Confessoris tui, semper es et ubique mirabilis : quæsumus clementiam tuam ; ut sicut ei eminentem glóriam contulisti, sic ad consequendam misericórdiam tuam mereámur ejus précibus adjuvári. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Teresiæ Virg. M. N. ; deinde Ss. Ursulæ et Sociar. Vv. et Mm., ut in Missali, ac dicitur Credo cum Præfatione de S. Teresia, 80, 82, 84 ratione Octavæ.

DIE 22 OCTOBRIS

In Octava

S. Teresiæ Virg., M. N.

Missa ut in Festo 55.

DIE 26 OCTOBRIS

In Translatione

S. Andreae Corsini Ep. et Conf. O. N.

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum : da pópulo tuo beati Andreae, Confessoris tui atque Pontificis, cujus solémnem Translationem celebrámus, ita sequi vestigia, ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Evaristi Papæ et Mart., ut in Missali.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ Ss. Simonis et Judæ App., ut in Missali, ante Commemorationem S. Evaristi. In fine Missæ legitur Evangelium Vigiliæ, item ut in Missali, de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, sine Glória, cum 2^a Oratione Festi et 3^a de S. Evaristo, sine Credo.

DIE 30 OCTOBRIS

S. Serapionis Ep. et

Conf. O. N.

Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui in Ecclesia tua beátum Serapionem, Confessorem tuum atque Pontificem, eruditóne et virtúte claréscere voluisti : præsta, quæsumus ; ut cujus Festum celebrámus, ejusdem méritis et précibus ipsius

stúdiū in prosequēda vera sapiētia et sanctitāte imitēmur. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis pro Festum dicitur Commemoratiónem.

Si hodie fuerit Sabbatum fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ Omnium Sanctorum, ut in Missali, et de ea legitur Evangelium in fine, de qua ad libitum dici possunt Missæ privatæ, juxta Rubricas, sine Glória, cum 2^a tantum Oratione Festi, sine Credo.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 4 NOVEMBRIS

**Beatæ Franciscæ Ambrosiæ
Viduae O. N.**

Missæ Cognóvi, de Comuni non Virginum 2 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Tuorum corda fidélium, Deus, miserátor illústra : et beatæ Franciscæ præcibus gloriósis, fac nos próspéra mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudere. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Caroli Ep. et Conf. ; deinde Commemoratio Omnium Sanctorum ; postea Ss. Vitalis et Agricolæ Mm., ut in Missali ; ac dicitur Credo, ratione Octavæ.

¶ De S. Carolo Ep. et Conf. dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

DIE 5 NOVEMBRIS

**Sacrarum Reliquiarum quæ in
Ecclesiis O. N. asservantur**

Introitus Ps. 33, 20-21

Multæ tribulatiónes justórum et de his ómnibus liberábit eos Dóminus : Dóminus custodit ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur. Ps. ibid., 2 Benedicam Dóminum in omni témpore : semper laus ejus in ore meo. V. Glória Patri.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operáris : et fac nos immortalis glóriæ participes ; cuius in eorum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuorum mérita sub una tribuísti celebritate venerári : quæsumus ; ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicatis intercessóribus largiáris. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiētiæ.

Eccli. 44, 10-15

Hi viri misericórdiæ sunt quorum pietates non defuerunt : cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum : et filii eorum propter illos usque in ætérnum manent : semen eorum, et glória eorum non derelinquétur. Córpora ipsorum in

pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Graduale Ps. 149, 5 et 1 Exsultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis. *V.* Ps. ibid., 1 Cantate Domino canticum novum : laus ejus in ecclesia sanctorum.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 67, 4 Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei : et delectentur in lætitia. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125,5-6 Qui seminant in lacrimis, in gaudio metent. *V.* Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. *V.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *V.* Sancti tui, Domine, florébunt sicut liliolum : et sicut odor balsami erunt ante te. Allelúja. *V.* Ps. 115, 15 Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 6, 17-23

In illo tempore : Descendens Jesus de monte, stetit in loco campèstri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et maritima, et Tyri, et Sidónis, qui venerant, ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quaerebat eum tangere : quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis : quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis : quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in caelo.

Credo, ratione Octavae.
Offertorium Ps. 67, 36 Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae : benedictus Deus, allelúja.

Credo, ratione Octavae.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae : benedictus Deus, allelúja.

Secreta

Imploremus, Domine, clementiam tuam : ut Sanctorum tuorum, quorum Reliquias veneramur, suffragantibus meritis, hostia, quam offerimus, nostrorum sit expiatio delictorum. Per Dominum.

Pro Octava Omnium Sanctorum
Secreta

Munera tibi, Domine, nostrae devotionis offerimus : quae et pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Communio Ps. 32, 1 Gaudete, justi, in Domino : rectos decet collaudatio.

Postcommunio

Multiplica super nos, quæsumus, Dómine, per hæc sancta, quæ sumpsimus, misericórdiam tuam : ut, sicut in tuorum sollemnitate Sanctórum, quorum reliquias cólimus, pia devotióne lætámur ; ita eórum perpétua societate, te largiente, fruámur. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine, fídelibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratíone lætári : et eórum perpétua supplicatíone muniri. Per Dóminum.

DIE 6 NOVEMBRIS

Beati Nonii Conf. O. N.

Introitus Ps. 36, 30-31



Ds justi meditabitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur iudícium : lex Dei ejus in corde ipsius. Ps. *ibid.*, 1 Noli æmulári in malignántibus : neque zeláveris facientes iniquitatem. *V.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beáto Nónio bonum certámen certare dedisti, eúmque sui ac mundi contemptórem eximium effecisti : concede nobis fámulis tuis ; ut, devictis mundi cupiditatibus, in cælesti pátria perpétuo gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctó-

rum tuórum mérita sub una tribuisti celebritate venerári : quæsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatíonis abundantiam, multiplicatis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perfectus est, erit illi glória ætérna : qui pótuít transgredi, et non est transgressus : fácere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit : sicut cecrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. *V.* *Ibid.*, 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritatem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. *V.* Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatíonem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Beátus vir ex Missa Os justí, de Communi 1 loco.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ex eadem Missa, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus
ad Jesum : Ecce nos reli-
quimus ómnia, et secúti sumus
te : quid ergo erit nobis ? Jesus
autem dixit illis : Amen dico
vobis, quod vos, qui secúti estis
me, in regeneratióne, cum sé-
derit Fílius hóminis in sede
majestátis suæ, sedébitis et vos
super sedes duódecim, judicán-
tes duódecim tribus Israël. Et
omnis, qui reliquerit domum, vel
fratres, aut soróres, aut patrem,
aut matrem, aut uxórem, aut
filios, aut agros propter nomen
meum, céntuplum accipiet, et
vitam ætérnam possidébit.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 25 Vé-
ritas mea, et misericórdia mea
cum ipso : et in nómine meo
exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias
limmolámus in tuórum com-
memoratióne Sanctórum : qui-
bus nos et præsentibus éxui
malis confidimus, et futúris.
Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ
devotiónis offérimus : quæ
et pro cunctórum tibi grata sint
honóre justórum, et nobis salu-
tária, te miseránte, reddántur.
Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vé-
nerit dóminus, invénerit vigi-
lántem : amen, dico vobis, super
omnia bona sua constitúet eum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti,
Deus noster, te súpplices
exorámus : ut, in cujus
hæc Commemoratióne percépi-
mus, ejus muniámur et préci-
bus. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine, fidé-
libus pópulis ómnium Sanct-
tórum semper veneratióne læ-
tári : et eórum perpétua suppli-
catióne muniri. Per Dóminum.

DIE 14 NOVEMBRIS

In Festo

Omnium Sanctorum Ordinis
B.V.M. de Monte Carmelo

Introitus

Gaudéamus omnes in Dó-
mino, diem festum cele-
brántes sub honóre Sanct-
tórum Carmelitárum : de quo-
rum solemnitate gaudent Ange-
li, et collaudant Fílium Dei. Ps.
32, 7 Exsultáte, justi, in Dó-
mino : rectos decet collaudatio.
V. Glória Patri.

Oratio

Omnípotens et miséricors
Deus, qui nos ómnium Sanct-
tórum Ordinis beatissimæ Vir-
ginis Mariæ de Monte Carmelo
ánna commemoratióne lætifi-
cas : concéde propítius : ut, eó-
rum extrémis et méritis, in jugi
tuæ legis meditatióne, et perfé-
cta abnegatióne tibi soli vivén-
tes, ad ætérnæ vitæ felicitátem
cum eis pervenire valeámus.
Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omittitur
ánna.

Et fit Commemoratio S. Josaphat Ep. et Mart.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spiritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus, animam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedente, nos quoque eódem Spírítu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

2 Cor. 6, 4-10

Fratres : Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris : per gloriam et ignobilitatem : per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces : sicut qui ignoti, et cogniti : quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.

Graduale Ps. 33, 9, 10 Timete Dóminum, omnes Sancti ejus : quóniam nihil deest timéntibus eum. *V.* Inquiréntes autem Dóminum, non deficient omni bono.

Allelúja, allelúja. *V.* Matth. 11, 28 Venite ad me, omnes qui laborátis, et oneráti estis, et ego reficiam vos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum sederit Filius hóminis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

~~Secreta.~~

Offertorium Sap. 3, 1-3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ : visi sunt óculis insipientium mori ; illi autem sunt in pace.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, Sanctórum Ordinis beatissimæ Virginis de Monte Carmélo dicatas méritis, benignus assume, et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum.

Pro S. Josaphat

Secreta

Clementissime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfunde, et nos in fide confirma,

quam sanctus Jósaphat, Martyr et Póntifex tuus, effúso sán-guine, adsérui. Per Dóminum.

Communio Matth. 5, 8-10
Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt : beáti pacífici, quóniam filii Dei vocabúntur : beáti, qui persecutió-nem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut Sanctórum Ordinis beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmélo, quorum solémnia celebrá-mus ; oratióibus adjuvémur. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis pro solémnia dicitur Commemoriatió-nem.

Pro S. Josaphat

Postcommunio

Spiritum, Dómine, fortitúdi-nis hæc nobis tribuat mensa cæléstis : quæ sancti Jósaphat Mártiris tui atque Póntificis vitam pro Ecclésiæ honóre júgi-ter áluit ad victóriam. Per Dó-minum.

¶ De S. Josaphat Ep. et Mart. dici possunt Missæ etiam priva-tæ ad libitum Sacerdotis, juxta Rubricas.

¶ Pro votivis Missa dicitur ut supra, cum Introitu tamen ut infra :

Sap. 3, 8

Júdicant sancti gentes, et do-minántur pópulis : et regnabit Dóminus Deus illórum in per-pétuum.

Post Septuagesimam vero, omissis Allelúja, et Versu se-quenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. *V.* Eúntes ibant et fle-bant, mitténtes sémina sua. *V.* Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manipu-los suos.

Tempore autem Paschali Mis-sa Sancti tui, de Comuni Mar-tyrum 2 loco, cum Orationibus tamen, Epistola et Evangelio ut supra.

Die 15 Novembris. Hodie, vel, si hæc dies perpetuo impedita fuerit vel etiam inciderit in Do-minicam, proximior insequenti Feria non impedita, fit Commemoriatio Omnium Defunctorum O. N., in qua omnes Missæ, una excepta de officio diei, di-cuntur pro Defunctis, ut in fine hujus Proprii.

DIE 16 NOVEMBRIS

Beati Ludovici Morbioli

Conf. O. N.

Missa Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beáto Ludovico misericórdiæ tuæ divitias ostendísti : concéde propítius, ut sicut ille vitiórum suórum láqueos, te donánte, fregit ; ita nos, eo intercedénte, per grá-tiam tuam a peccatórum nêxi-bus liberémur. Per Dóminum.

DIE 24 NOVEMBRIS

S. JOANNIS A CRUCE, CONF.

PATRIS NOSTRI

Introitus

Gal. 6, 14

Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. *V.* Glória Patri.

¶ Parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis discalceatis.

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem, Confessórem tuum ac (Patrem nostrum), perféctæ sui abnegatiónis, et crucis amatórem eximium effecisti : concéde : ut ejus imitatióni júgiter inhærentes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Phil. 3, 17-21 : 4, 6-9

Fratres : Imitatóres mei estóte, et observáte eos, qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis intéritus : quorum Deus venter est : et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sapiunt. Nostra autem conversátió in cælis est : unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformá-

bit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Nihil solliciti sitis : sed in omni oratióne, et obsecratióne, cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem, sensum, custódiat corda vestra, et intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudica, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabilia, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitáte. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite : et Deus pacis erit vobíscum.

Graduale Matth. 16, 24 Qui vult post me venire, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. *V.* Isai. 26, 9 Anima mea desiderávit te in nocte : sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Allelúja, allelúja. *V.* Eccli. 51, 18 et 22 Quæsívi sapiéntiam in oratióne mea : multam invéni in meipso, et multum proféci in ea. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Isai. 42, 1 Ecce puer meus, electus meus : dedi spiritum meum super eum. *V.* Sap. 10, 17 Fuit mihi in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. *V.* 1 Cor. 2 Sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non huius sæculi : sed loquimur Dei sapientiam.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 29, 11 Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Allelúja *V.* Ps. 65, 15 Venite, audite, et narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 11, 33-36

In illo tempore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub módio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrorum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Isai. 60, 19 Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.

Secreta

Offerimus tibi, Domine, hostiam laudis in honorem sancti Joannis, Confessoris tui (et Patris nostri), qui assiduam crucis mortificationem in semetipso portans, tibi fuit hostia grata, atque jucunda : Qui vivis.

Communio Isai. 53, 10, 11 Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

Postcommunio

Præbeant nobis, Domine, divinum tua Sancta fervorem, intercedente sancto Joanne, Confessore tuo (et Patre nostro) : et præsta ; ut, sicut illum, dum hæc sacra mysteria perageret, caritatis igne cælitus immisso, etiam exteriùs irradiare fecisti : ita nos ejusdem caritatis ignibus succensì, ad cælestia jùgiter aspireremus : Qui vivis.

¶ Infra Octavam Missa ut in Festo et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2^a Oratio de Sancta Maria Concède, 3^a contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

¶ Quando vero per Octavam de aliis Festis occurrentibus Missa celebratur, fit quotidie Commemoratio Octavæ ante Commemorationem Simplicis, forte occurrentis, juxta Rubricas, et dicitur Credo, ratione Octavæ.

MISSA

IN FESTO SODALITATIS DIVINI INFANTIS JESU

TITULO PRAGENSI

¶ Dominica I post Circumcisionem vel alia die semel statuta qua sollemniter celebratur Festum Sodalitatis, in Ecclesiis vel Oratoriis publicis in quibus canonicè erecta est huiusmodi Sodalitas, celebrari potest unica Missa votiva Ssmi Nominis Jesu, ut in

Missali, sive lecta, sive in cantu, cum Glória et Credo ac unica Oratione ; dummodo non occurrat Festum Duplex I Classis aut Dominica item I Classis, aliquod Festum Domini, necnon Feria, Vigilia et Octava I et II Ordinis, quæ sint ex privilegiatis.

MISSA VOTIVA

DE B. MARIA VIRG. DE MONTE CARMELO

¶ Hæc Missa cum suis Orationibus legi vel cani potest per annum, juxta Rubricas ; itemque singulis Sabbatis vel pro die Sabbati totius anni, ex privilegio Ordini Nostro concessio.

Introitus

Is. 61, 10

Gaudens gaudebo in Dómino, et exsultabit ánima mea in Deo meo : quia induit me vestiménto salutis ; et induménto justitiæ circumdedit me. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. 95, 1 Cantáte Dómino cánticum novum ; cantáte Dómino, omnis terra. V. Glória Patri.

In Sabbato dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ Mariæ singulári título Carméli Ordinem decorásti : concéde

propítius ; ut, cujus Commemorationem pio celebrámus officio, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur : Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Joseph.

Oratio

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur ; ut, quod possibilitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

Deinde de Spiritu Sancto.

Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spiritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere ; et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitate ejúsdem.

¶ De officio diei in Sabbato vel pro die Sabbati nulla fit Commemoratio si una saltem Missa

de eodem Officio in Ecclesia celebratur : secus Commemoratio ejusdem Officii ponitur loco Orationis de Spiritu Sancto.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Prov. 8, 17-21 et 34-35

Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilans ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Graduale Judith 15, 10 Tu gloria Jerusaleme, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. *V.* Cant. 7, 5 Caput tuum ut Carmelus ; et comæ capitis tui, sicut purpura regis vincita canalibus.

Allelúja, allelúja. *V.* Is. 35, 2 Gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ezech. 16, 8 Expandi amictum meum super te, et juravi pactum tecum. *V.* Os. 13, 14 De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. *V.* Cant. 4, 11 Favus distillans labia tua ; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Tempore autem Paschali omit-

titur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *V.* Jer. 2, 7 Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, et optima illius. Allelúja. *V.* 1 Reg. 25, 7 Non defuit quidquam eis omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

Joann. 19, 25-27

In illo tempore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesu matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Offertorium Ezech. 46, 1 Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus ; die autem Sabbati aperietur (T. P. Allelúja.)

Secreta

Tua nos, Domine, abundantia pietatis indulgeat : ut per sacra munera, quæ tibi reverenter offerimus, gratum beatissimæ Filii tui Matri famulatum exhibere valeamus. Per eundem Dominum.

Pro S. Joseph

Secreta

Debitum tibi, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes : ut, suffragiis beati Joseph, Sponsi Genitricis Filii tui Jesu Christi, Domini nostri, in nobis tua mune-

68 Missa in Professione Religiosorum et in Velatione Monialium

ra tuearis ; ob cuius venerandam commemoratióem laudis tibi hóstias immolámus.

De Spiritu Sancto
Secreta

Quænera, quæsumus, Dómine, oblata sanctifica : et corda nostra Sancti Spiritus illustratióne emúnda. Per Dóminum... in unitate ejúsdem.

Præfatio de B. Maria Virg. de Monte Carmelo. 72

Communio Prov. 31, 25 Fortitúdo et decor indumentum ejus, et ridébit in die novissimo (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Pretiosi, Córporis et Sanguinis tui nos, Dómine, sacra-

ménto reféctos, mirífica tuæ grátia majestátis commúniat : atque obséquiis beatíssimæ Virginitatis mancipátos, virtútum ejúsdem fidéles constituat imitatóres : Qui vivis.

Pro S. Joseph
Postcommunio

Adesto nobis, quæsumus, misericors Deus : et intercedente pro nobis beáto Joseph Confessóre, tua circa nos propitiatus dona custódi.

De Spiritu Sancto
Postcommunio

Sancti Spiritus, Dómine, corda nostra mundet infúsió : et sui roris íntima aspersione fœcúndet. Per Dóminum... in unitate ejúsdem.

MISSA

IN PROFESSIONE RELIGIOSORUM ET IN VELATIONE MONIALIUM

¶ Quocúmque die locum habeant Professio tam simplex quam sollemnis Religiosorum nostrorum ac Velatio nostrarum Monialium, celebrari potest unica Missa votiva Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ut supra 66, sive lecta sive in cantu cum Glória, Credo ac unica Oratione, addita tamen sub unica conclusione Oratione propria de Professione vel Velatione, ut infra 70 ; exceptis vero Festis

duplicibus I Classis et Dominicis majoribus item I Classis, in quibus tantum permittitur Commemoratio Bmæ Mariæ Virg. de Monte Carmelo sub unica conclusione cum Oratione de Festo vel Dominica currente, nec non exceptis Festis ipsius Beatæ Mariæ Virginis sub quolibet alio titulo celebratis, non ommissa in his casibus Oratione propria, ut supra, ac servatis de cætero Rubricis ac Decretis.

ORATIONES IN MISSA

EX RUBRICIS VEL PRO OPPORTUNITATE
IN ORDINE NOSTRO DICENDÆ

I

Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum

¶ In hac Oratione, quæ ex Rubricis inter Orationes pro diversitate Temporum assignatas dicitur, sicut et in ejus Postcommunione, ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona Divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione A cunctis expressum; ac nomina sanctorum Angelorum, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti P. N. Eliæ, adicta particula cum quæ omittitur ante nomen sancti Eliæ. Si autem Titularis fuerit sanctus Joannes Baptista, ejus nomen medium ponitur inter nomen sancti Eliæ et nomen S. Joseph. Sicubi vero Titularis fuerit Apostolus, vel Martyr, vel Confessor, ejus nomen ponitur immediate post nomen sanctorum Petri et Pauli. In hisce autem omnibus casibus, sicut si Titularis fuerit sancta M. N. Teresia, particula atque præponitur nomini sanctæ M. N. Teresiæ, et omittuntur verba beato N. Si vero Missa vel Commemoratio fuerit de sancto Elia, aut de sancto Joseph, aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo,

aut tandem de S. Teresia, nec non in Missa votiva de Omnibus Sanctis, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba quæ eos respiciunt.

Oratio

A cunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde periculis: et, intercedente beáta et gloriósa semper Virgine Dei Genitrice María, cum beáto Elia, beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, beáta Terésia, atque L. N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem; ut, destructis adversitatibus et erroribus univérsis, Ecclesiá tua secura tibi sérviat libertáte. (Per eúmdem Dóminum.)

Secreta

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris; grátiam tribuens in præsénti, et glóriam in futúro. (Per Dóminum.)

Postcommunio

Mundet et múniat nos, quæsumus, Dómine, divini sacraménti munus oblátum: et, intercedente beáta Virgine Dei Genitrice María cum beáto Elia, beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, beáta Terésia, atque beáto N. et omnibus Sanctis; a cunctis nos red-dat et perversitatibus expiátos,

a. Teresia et omni

et adversitatibus expeditos. (Per eundem Dominum.)

¶ Vel, si Missa aut Commemoratio fuerit de sancta Maria :

Oratio

A cunctis nos, quæsumus, Domine, mentis et corporis defende periculis ; et, intercedente beato Elia, cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, beata Teresia, atque beato N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem ; ut, destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. (Per eundem Dominum.)

Secreta

E xaudi nos, Deus salutaris noster : ut, per hujus sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis ; gratiam tribuens in presententi, et gloriam in futuro. (Per Dominum.)

Postcommunio

M undet et muniat nos, quæsumus, Domine, divini sacramenti munus oblatum : et, intercedente beato Elia, cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, beata Teresia, atque beato N. et omnibus Sanctis ; a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatis, et adversitatibus expeditos. (Per eundem Dominum.)

II

Oratio

in Professione Religiosorum
ac in renovatione Professionis

¶ Hæc Oratio dicitur in Ordine Nostro in Missa die Pro-

fessionis Religiosorum, tam simplicis quam sollemnis, juxta Rubricam superius relatam 68 nec non ad libitum Sacerdotis, in Missis privatis, in renovatione Professionis, die Epiphaniæ Domini ac in festo Exaltationis S. Crucis, ut suis locis in Proprio Missarum notatur.

Oratio

D eus, qui nos, a sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere ; et gratiam nobis, qua in te perseveremus, infunde : ut protectionis tuæ muniti præsidii, quod te donante promissimus, impleamus ; et, nostræ professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Dominum.

Secreta

T ibi, Domine Deus noster, hostiam immolantes, humiliter petimus : ut nos sacrificium tuum mortificatione vitæ carnalis accipias, ac moribus, quibus professioni nostræ congruamus, instituas ; et quos sanctæ compunctionis ardore ab hominum ceterorum proposito separasti, etiam a conversatione carnali, et immunditia terrenorum actuum, infusa nobis cælitus sanctitate, defendas. Per Dominum.

Postcommunio

D eus, qui renuntiantibus sæculo mansiones præparas in cælo : dilata corda nostra cælestibus bonis ; ut fraternalitatem compagine caritatis unanimes ; præcepta custodi-

MISSÆ DEFUNCTORUM

IN COMMEMORATIONE OMNIUM DEFUNCTORUM O. N.

¶ Hac die legitur prima Missa ex iis quæ habentur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, ut in Missali, cum Orationibus ut infra :

Oratio

Deus, véniæ largitor, et humanæ salutis amator : quæsumus cleméntiam tuam ; ut nostræ Congregatiónis Fratres, et Soróres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta Maria semper Virgine intercedénte, cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est número, súscipe propitius preces humilitátis nostræ : et animábus nostrórum Fratrum, et Sorórum, quibus tui nóminis dedisti confessiõnem, per hæc sacraménta salutis nostræ, cunctórum remissiõnem tribue peccatórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus : ut animæ nostrórum Fratrum, et Sorórum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtúlimus majestáti : per hujus virtútem sacraménti a peccáti omnibus

expiatæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recipiant beatitúdinem. Per Dóminum.

¶ Pro Absolutione super tumulum, vel ad sepulchrum Fratrum nostrorum, quæ, finita Missa, ritu præscripto peragitur, ut in Missali et in Ordinario O. N., incipientibus Cantoribus, canitur a Choro Responsorium : Libera me, Dómine, quo finito, Cantor Chori Canturiæ dicit : Kyrie, eléison ; secundus Chorus respondet : Christe, eléison. Deinde Chorus Canturiæ repetit : Kyrie, eléison.

Mox Celebrans dicit alta voce : Pater noster, et secreto dicitur ab omnibus. Interim Celebrans, comitante Diacono, circumiens tumulum vel sepulchrum, illum vel illud aqua benedicta aspergit ac thure incensat : quo facto, rediens ad pristinum locum, junctis manibus dicit :

V. Et ne nos indúcas in tentatiõnem.

R. Sed libera nos a malo.

V. A porta inferi.

R. Erue, Dómine, ánimas eórum.

V. Requiéscant in pace.

R. Amen.

V. Dómine, exáudi oratiõnem meam.

R̄. Et clamor meus ad te véniat.

V̄. Dóminus vobiscum.

R̄. Et cum spiritu tuo.

Orémus Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulorum, famularumque tuarum, Fratrum, et Sororum nostrarum ab omni vinculo delictorum : ut in resurrectionis glória, inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dóminum nostrum. R̄. Amen.

¶ Deinde Celebrans, faciens cruce manu dextera super tumulum vel sepulcrum, dicit :

V̄. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

R̄. Et lux perpétua luceat eis.

Et dicto per Cantores :

V̄. Requiéscant in pace.

R̄. Amen.

Celebrans subjungit recto tono :

V̄. Animæ eorum et earum, et animæ omnium fidelium defunctorum per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

R̄. Amen.

¶ Tunc Celebrans inchoat Antiphonam Si iniquitates, et, recitantes Psalmum De profundis, præcedente Cruce, omnes redeunt ad Sacristiam, ubi cetera absolvuntur ut in Missali.

IN DIE OBITUS

SEU DEPOSITIONIS DEFUNCTI O. N.

¶ Si defunctus fuerit Sacerdos dicitur prima Missa ex iis quæ habentur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, ut in Missali, juxta Rubricas, cum Orationibus ut infra :

Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdotes famulum tuum N. fratrem nostrum sacerdotáli fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus ; ut eorum quoque perpétuo aggregetur consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, pro ánima famuli tui N. fratris nostri Sacerdotís, quas

offérimus hóstias : ut, cui in hoc sæculo sacerdotále donásti méritum, in cælésti regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quæsumus, Dómine, animæ famuli tui N. fratris nostri Sacerdotís, misericórdiæ tuæ implorata cleméntia : ut ejus, in quo sperávit et crédidit, ætérnum cápiat, te miserante, consórtium. Per Dóminum.

¶ Pro defuncto non Sacerdote et pro defuncta Moniali dicitur Missa in die obitus seu depositionis Defuncti, ut in Missali, cum Orationibus ut infra :

Oratio

Deus, cui próprium est misereri semper et párcere, te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. fratris nostri (fámulæ tuæ N. soróris nostræ), quam hódie de hoc sæculo migráre iussisti : ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci ; ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas inférni sustineat, sed gáudia ætérna possideat. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, quæsumus, Dómine, animæ fámuli tui N. fratris nostri (fámulæ tuæ N. soróris nostræ), pro qua hóstiam laudis tibi immolámus, majestátem tuam suppliciter deprecántes : ut per hæc piæ placatiónis officia, pervenire mereátur ad réquiem sempitérnam. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut ánima fámuli tui : N. fratris nostri (fámulæ tuæ N. soróris nostræ), quæ hódie de hoc sæculo migrávit, his sacrificiis purgáta, et a peccátis expedita, indulgéntiam páriter et réquiem cápíat sempitérnam. Per Dóminum.

¶ Pro Absolutione super tumulum, quæ, finita Missa, ritu præscripto peragitur, nisi sit faciendum officium sepulturæ, omnia fiunt ut supra 85. Dicto autem Pater noster, Celebrans, postquam tumulum aqua bene-

dicta aspersione ac thure incensaverit, et ad pristinum locum redierit, junctis manibus prosequitur :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℞. Sed liberanos a malo.

℣. A porta inferi.

℞. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℞. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Orémus

Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. fratris nostri (Sacerdótis ; vel fámulæ tuæ N. soróris nostræ) ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectionis glória, inter sanctos et eléctos tuos resuscitátus (resuscitáta) respíret. Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

¶ Loco præcedentis Orationis Celebrans dicere potest Oratiónem, quæ dicta est in Missa, vel aliam convenientem.

¶ Deinde Celebrans, faciens crucem manu dextera super tumulum, dicit :

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.

℞. Et lux perpétua lúceat ei.

Et dicto per Cantores :

℣. Requiéscat in pace.

℞. Amen.

Celebrans subjungit recto tono :

V. Anima ejus et animæ omnium fideliū defunctorū per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

¶ Tunc Celebrans inchoat Antiphonam Si iniquitates, et recitantes Psalmum De profundis, præcedente Cruce, omnes redeunt ad Sacristiam, ubi cetera absolvuntur ut in Missali.

IN TERNARIIS PRO DEFUNCTIS

¶ Tribus anni temporibus, videlicet : 1° inter Octavam Epiphaniæ et Festum Purificationis B. Mariæ Virginis ; 2° inter Octavam Paschatis Resurrectionis et Ascensionem D. N. J. C. ; 3° inter Festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli et Festum Omnium Sanctorum, canuntur singulis vicibus tres Missæ pro Defunctis, ad mentem Constitutionum nostrarum.

¶ Hæ Missæ statis temporibus cani possunt quacumque die, exceptis festis duplicibus I et II classis, festis de præcepto servandis, feriis, vigiliis ac octavis privilegiatis.

¶ Missa sumitur quæ in Missis quotidianis dicitur, ut in Missali, cum Orationibus ut infra :

In primo Ternario

Oratio

Inclina, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecámur : ut ánimas famulorum tuorum, quas de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum júbeas esse consortes. Per Dóminum.

Aliæ Orationes

Deus, véniæ largitor et humanæ salutis amátor : quæsumus cleméntiam tuam ; ut nostræ Congregatiónis fratres, propinquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitudinis consórtium pervenire concédas.

Fideliū Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur : Qui vivis.

Secreta

Annue nobis, quæsumus, Dómine, ut animabus famulorum tuorum hæc prosit oblatio : quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ

Deus, cujus misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ :

et animabus fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per hæc sacramenta salutis nostræ, cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Hóstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus inténde : ut, quibus fidei christiánæ méritum contulisti, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Absolve, quæsumus, Dómine, animas famulorum tuorum ab omni vinculo delictorum : ut in resurrectionis glória, inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus : ut animæ fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus majestati ; per hujus virtutem sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpétuæ, te miserante, recipiant beatitudinem.

Animabus, quæsumus, Dómine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium : ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuæ redemptionis facias esse participes : Qui vivis.

In secundo Ternario

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti : miserere clementer animabus parentum nostrorum, eorumque

peccata dimitte ; nosque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dóminum.

Aliæ Orationes

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt : famulis et famulabus tuis, et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitiatus veniam peccatorum ; ut, a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine læténtur.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur : Qui vivis.

Secreta

Suscipe sacrificium, Dómine, quod tibi pro animabus parentum nostrorum offerimus : eisque gaudium sempiternum in regione vivorum concede ; nosque cum illis felicitati sanctorum conjunge. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ

Pro animabus famulorum famularumque tuarum et omnium catholicorum hic et ubique in Christo dormientium, hóstiam, Dómine, suscipe benignus oblata : ut hoc sacrificio singulari, vinculis horrendæ mortis exuti, vitam mereantur æternam.

Hóstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus inténde : ut, quibus fidei christiánæ méritum contulisti, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Quælestis participatio sacramenti, quæsumus, Dómine, animabus paréntum nostrórum requiem et lucem obtíneat perpétuam : nosque cum illis grátia tua coronet ætérna. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones

Deus, fidélium lumen animárum, adésto supplicatióibus nostris : et da famulis et famulábus tuis, quorum cörpera hic et ubique in Christo requiescunt, refrigerií sedem, quiétis beatitudinem, et lúminis claritátem.

Animabus, quæsumus Dómine, famulórum famularúmque tuárum oratio proficiat supplicántium : ut eas et a peccátis omnibus éxuas et tuæ redemptiós facias esse participes : Qui vivis.

In tertio Ternario

Oratio

Deus, véniæ largitor, et humanæ salutis amátor : quæsumus cleméntiam tuam ; ut nostræ Congregatiónis fratres, propinquos, et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitudinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Aliæ Oraciones

Deus, cujus miseratione animæ fidélium requiescunt : famulis et famulábus tuis, et omnibus hic et ubique in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum ; ut, a cunctis

reátibus absóluti, tecum sine fine læténtur.

Fidélium Deus ómnium cón-ditor et redémptor, animabus famulórum famularúmque tuárum remissionem cunctórum tribue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optaverunt, piis supplicatióibus consequántur : Qui vivis.

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est número, súscipe propítius preces humilitátis nostræ : et animabus fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedisti confessiós, per hæc sacraménta salutis nostræ, cunctórum remissionem tribue peccatórum. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ

Pro animabus famulórum famularúmque tuárum, et ómnium catholicórum hic et ubique in Christo dormiéntium, hóstiam, Dómine, súscipe benignus oblátam : ut hoc sacrificio singulári, vinculis horréndæ mortis exúti, vitam mereántur ætérnam.

Hóstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animabus famulórum famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde : ut, quibus fidei christiánæ méritum contulisti, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta quæsumus, omnipotens et miséricors Deus : ut animæ fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obrúlimus majestáti ;

per hujus virtutem sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem. Per Dominum.

Aliae Postcommuniones

Deus, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris : et da famulis et famularibus tuis, quorum corpora hic et

ubique in Christo requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem.

Animabus, quaesumus, Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium : ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemptionis facias esse participes : Qui vivis.

DE ABSOLUTIONE PRO DEFUNCTIS

POST MISSAM VISITATORIS

¶ Pro Absolutione quae, finita Missa Visitatoris, ritu praescripto peragitur, ut in Ordinario O. N., canitur in Choro Responsorium Libera me, Domine ; quo finito, Cantor Chori Canturiae dicit : Kyrie, eleison ; secundus Chorus respondet : Christe, eleison. Deinde Chorus Canturiae repetit : Kyrie, eleison.

Mox Visitator dicit alta voce : Pater noster, et secreto dicitur ab omnibus. Interim Visitator pannum nigrum prius extensum ante gradus altaris aqua benedicta aspergit ac thure incensat : quo facto, junctis manibus dicit :

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. A porta inferi.

R. Erue, Domine, animas eorum.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator : quaesumus clementiam tuam ; ut nostrae Congregationis fratres et sorores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

¶ Deinde Visitator, faciens crucem manu dextera super pannum, dicit :

V. Requiem aeternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

Et dicto per Cantores :

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

Cantor intonat Psalmum De profundis ; quo expleto Visitator subjungit :

92 De absoluteione pro Defunctis post Missam visitatoris

V. A porta inferi.
R. Erue, Dómine, ánimas eó-
rum.

V. Requiéscant in pace.

R. Amen.

V. Dómine, exáudi oratióem
meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine,
ánimas ómnium fidélium

defunctorum ab omni vínculo
delictorum, ut in resurrectionis
glória inter sanctos et electos
tuos resuscitati respirent. Per
Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

V. Réquiem ætérnam dona
eis, Dómine.

R. Et lux perpétua lúceat
eis.

V. Requiéscant in pace.

R. Amen.



Die 11 Martii

B. TERESIÆ MARGARITÆ VIRG. O. N.

Introitus

Ps. 44, 8

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consórtibus tuis. Ps. *ibid.*, 2 Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. *Ÿ.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátæ Teresiæ Margaritæ Virgini de fóntibus Salvatóris inæstimábiles dedisti puritátis et caritátis haurire thesauros: da nobis, quæsumus, ut, ipsa interveniente, iisdem mereámur donis cælestibus abundáre. Per eúndem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipientiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatione. Despóndi enim vos uni viro virginem castam exhibére Christo.

Graduale Ps. 44, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. *Ÿ.* Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam: et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Tractus Ps. 44, 11 et 12 Audi, filia, et vide, et inclína áurem tuam: quia concúpivit rex spécie tuam. *Ÿ.* *Ibid.*, 13 et 10 Vultum tuum deprecabúntur omnes divites plebis: filiæ regum in honóre tuo. *Ÿ.* *Ibid.* 15-16 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. *Ÿ.* Afferéntur in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regis.

In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, omisso Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. *Ÿ.* *Ibid.*, 15-16 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. *Ÿ.* Ps. 44, 15 et 16 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja. *Ÿ.* *Ibid.*, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. Allelúja.



Sequëntia sancti Evangélii
secundum Matthæum.

Matth. 25, 1-13

In illo tẽmpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virgínibus: quæ accipientes lâmpades suas, exierunt óbviã sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lâmpádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lâmpádibus. Moram autem faciẽnte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte, clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviã ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lâmpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lâmpades nostræ extingúuntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et cláusa est jánuã. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait:

Amen dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium Ps. 44, 10 Filiæ regum in honóre tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera nostra, qui beátam Terésiam Margarítam Virgínam hóstiã tibi placẽntem suscepisti: et nobis præsta: ut, ejus méritis et précibus adjúti, cándidis tibi móribus et vita placeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Communio Matth. 25, 4 et 6
Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lâmpádibus; média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviã Christo Dómino.

Postcommunio

Súplices te rogámus, omnípotens Deus, ut, quos tuis réficis sacraméntis, intercedẽte Beáta Terésia Margaríta, Virgíne tua, tibi étiam plácitis móribus dignánter tribuas deservire. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Concordat cum originali quod asservatur in Archivo Domus nostræ Generalitiæ.

Romæ, die 27 Februarii 1930.

L. ✠ S.

Fr. Eugenius a S. Joanne a Cruce, Proc. Gen.

DIE 3 OCTOBRIS

IN FESTO

S. TERESLÆ A JESU INFANTE

VIRGINIS O. N.

Introitus Cant. 4, 8 et 9

Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni : vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum : laudáte nomen Dómini. V. Gló-
ria Patri.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámur sicut párvuli, non intrábimus in regnum cælórum : da nobis, quæsumus ; ita sanctæ Teresiæ Virginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestigia sectári, ut præmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 66, 12-14

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímur, et super génuâ blandiéntur vobis. Quómo-
do si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímur. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et óssa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

Graduale Matth. 11, 25 Confiteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. V. Ps. 70, 5 Dómine, spes mea a juventúte mea.

Allelúja, allelúja. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte : quasi Líbanus odórem suavitátis habéte : floréte, flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedicite Dóminum in opéribus suis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Cant. 2, 11-12 Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. V. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra. V. Jerem. 31, 3 In caritáte perpétua diléxi te : ideo attráxi te, miserans tui.

Tempore autem Paschali omititur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte : quasi

Libanus odorem suavitatis habete : floréte, flores, quasi lili-um, et date odorem, et fronde-
 dete in gratiam, et collaudate
 canticum, et benedicite Dómi-
 num in opéribus suis. Allelúja.
 V. Ps. 33, 9 ; 99, 5 Gustáte,
 et vidéte quóniam suávis est
 Dóminus : in ætérnum miseri-
 córdia ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangé-
 líi secúndum Matthæum.

Matth. 18, 1-4

In illo tēpore : Accessérunt
 discipuli ad Jesum, dicén-
 tes : Quis, putas, major est in
 regno cælórum ? Et ádvocans
 Jesus párvulum, státuit eum in
 médio eórum, et dixit : Amen
 dico vobis, nisi convérsi fué-
 ritis, et efficiámini sicut párvuli,
 non intrábitis in regnum cæló-
 rum. Quicúmque ergo humiliá-
 verit se sicut párvulus iste, hic
 est major in regno cælórum. *Crede*

Offertorium Luc. 1, 46-48
 et 49 Magnificat ánima mea

Dóminum : et exsultávit spí-
 ritus meus in Deo salutári meo :
 quia respéxit humilitátem ancil-
 læ suæ : fecit mihi magna qui
 potens est.

Secreta

Sacrificium nostrum tibi, Dó-
 mine, quæsumus, sanctæ
 Teresiae Virginitatis tuæ precatio
 sancta conciliet : ut in cuius
 honóre solémniter exhibétur,
 ejus méritis efficiátur accéptum.
 Per Dóminum.

Communio Deut. 32, 10-12
 Circumdúxit eam, et dócuit :
 et custodivit quasi pupillam oculi
 sui. Sicut áquila expándit alas
 suas, et assúmpsit eam, atque
 portávit in húmeris suis. Dómi-
 nus solus dux ejus fuit.

Postcommunio

Illo nos, Dómine, amóris igne
 cælesté mystérium inflám-
 met : quo sancta Terésia Vir-
 go tua se tibi pro homínibus
 caritátis víctimam devóvit. Per
 Dóminum.

Concordat cum originali approbato. In fidem, etc.

E Secretaria Sacrorum Rítuum Congregationis, die 17 Maji 1925.

L. † S.

ALEXANDER VERDE, Secretarius.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, die 2 Septembris 1927

J. JANSEN, VIC. GEN.

Imprimé en Belgique

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

DIE 24 NOVEMBRIS

S. JOANNIS A CRUCE

CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

PATRIS NOSTRI

Introitus

Gal. 6, 14

Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via : qui ambulat in lege Dómini. ✽. Glória Patri.

¶ Parenthesis non dicitur, nisi a Carmelitis discalceatis.

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem, Confessórem tuum atque Doctórem (Patrem nostrum), perféctæ sui abnegatiónis, et crucis amatórem exímium effecisti : concéde ; ut, ejus imitatióni júgiter inhærentes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippéenses.

Phil. 3, 17-21 : 4, 6-9

H fratres : Imitatóres mei estóte, et observáte eos, qui ita ambulat, sicut habétis formam nostram. Multi enim ambulat, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis intéritus : quorum Deus venter est : et glória in confusione ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversatió in cælis est : unde étiam Salvatórem exspe-

ctámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum cörperi claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjicere sibi ómnia. Nihil solliciti sitis : sed in omni oratióne, et obsecratióne, cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem, sensum, custódiat corda vestra, et intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudica, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabilia, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitáte. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc ágite : et Deus pacis erit vobiscum.

Graduale Matth. 16, 24 Qui vult post me venire, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. ✽. Isai. 26, 9 Anima mea desiderávit te in nocte : sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Allelúja, allelúja. ✽. Eccli. 51, 18 et 22 Quæsi vi sapiéntiam in oratióne mea : multam invéni in meípso, et multum profeci in ea. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Isai. 42, 1 Ecce puer meus, electus meus : dedi spiritum meum super eum. *℟.* Sap. 10, 17 Fuit mihi in velamento diēi, et in luce stellarum per noctem. *℟.* 1 Cor. 2 Sapiētiā loquimur inter perfectos : sapiētiā vero non hujus sæculi : sed loquimur Dei sapiētiā.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *℟.* Ps. 29, 11 Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Allelúja. *℟.* Ps. 65, 15 Venite, audite, et narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ. Allelúja.

✠ Sequētia sancti Evangēlii secūndum Lucam. Luc. 11, 33-36

In illo tēpore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucērnā accēdit, et in abscondito ponit, neque sub mōdio : sed supra candelābrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucērna cōrporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrōsum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tēnebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucērna fulgōris illuminabit te.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Isai. 60, 19 Erit tibi

Dōminus in lucem sempiternam, et Deus tuus in glōriam tuam.

Secreta

Offerimus tibi, Dōmine, hōstiam laudis in honorem sancti Joānis, Confessoris tui atque Doctōris (et Patris nostri), qui assiduam crucis mortificationem in semetipso portans, tibi fuit hōstia grata, atque jucūnda : Qui vivis.

Communio Isai. 53, 10, 11 Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit semen longævum, et voluntas Dōmini in manu ejus dirigetur.

Postcommunio

Præbeant nobis, Dōmine, divinum tua Sancta fervorem, intercedente sancto Joāne, Confessore tuo atque Doctōre (et Patre nostro) : et præsta ; ut, sicut illum, dum hæc sacra mystēria perageret, caritatis igne cælitus immisso, etiam extērius irradiare fecisti : ita nos ejusdem caritatis ignibus succēnsi, ad cælestia jūgiter aspirēmus : Qui vivis.

¶ Infra Octavam Missa ut in Festo et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2^a Oratio de Sancta Maria Concēde, 3^a contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

¶ Quando vero per Octavam de aliis Festis occurrentibus Missa celebratur, fit quotidie Commemoratio Octavæ ante Commemorationem Simplicis, forte occurrentis, juxta Rubricas, et dicitur Credo, ratione Octavæ.